6
11-b
30

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
10 D
15

6-11-b-30

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS POLITI
ORATIONES

AD INSTAURANDA

JURIS ECCLESIASTICI STUDIA

HABITÆ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PATAVII, MDCCLXXXI.

SUPERIORUM PERMISSU.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

AD LECTOREM

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CUm ea mihi provincia tradita fuerit, ut quotannis rei literariæ publice proluderem, iiſque Adoleſcentibus, qui Eccleſiæ nomen dederant, viam explanarem, quam potiſſimum in ſtudiorum ſuorum curſu ſequi deberent, eo gradatim promovi, ut diſciplinarum omnium, quæ Eccleſiaſtico viro dignæ ſunt, orbem confecerim. Quamnam autem viarum rationem iis præcipiendam eſſe *crediderim*, *niſi quid te detinet*, *audi*. Anno I. in ſemidoctorum turbam ſtilum acui: nullam capitaliorem peſtem humano generi datam eſſe, eos malorum omnium ſtirpem, ac ſementem eſſe: ſatius eſſe nullo omnino imbui, quam levi tantum, aut mediocri doctrinæ colore tingi, il-

los in ſua pellicula quieſcere, hos ſupra vires audere; ac proinde monſtra parere (tam arctum eſt enim doctrinarum vinculum, ut niſi ſimul nexæ, atque una conſtrictæ ſtare neſciant) impietatem, hæreſes, ſchiſmata omnium ſæculorum nonniſi ex levibus doctrinarum hauſtibus, atque e parum deguſtatis artium, ſcientiarumque dapibus ortum ſuum habuiſſe: Terentianum illud (*a*), *omnia mediocriter in vita adprime eſſe utile*, in literis autem aut evolandum ad ſummum, aut in nido hærendum, aut adeundum Corinthum, aut ne e litore quidem ſolvendum. Anno II. exoticarum linguarum oſoribus dicam ſcripſi: nihil Eccleſiaſtico viro dignius harum linguarum ſtudio; ſacris enim Literis, Eccleſiæque Traditionibus totam Religionis molem inniti, veritates omnes divinitus evulgatas eiſdem contineri; ad eas vero puriſſimas, putiſſimaſque eruendas plurimum conferre exoticarum linguarum cognitionem: Vetus Teſtamentum He-

(a) *Terent.* And. act. 1.

Hebraicis, Novum Græcis, Eccleſiæ Traditiones Syriacis, Græcis, Latinisque vocibus enunciatas eſſe: harum linguarum interitum ingentes clades, & vulnera ſacris libris, Eccleſiæque Traditionibus inflixiſſe; irrepſiſſe enim in tam auguſta ſacraria adulterinas merces, Canones ſubdititios, textus corruptos, ſententias mutilatas : reſtitutam quidem jam eſſe ſacrarum Literarum integritatem, Sacrorum vero Canonum libris, Sanctorum Patrum ſcriptis ſanitatem omnem nondum redditam eſſe; hiſce emendandis valde adlaboraſſe literariæ Reipublicæ Proceres, longiſſimas peregrinationes obiiſſe, Bibliothecas omnes perluſtraſſe, cunctas latebras pertentaſſe, nullumque locum reliquiſſe, in quo veteres Codices, numiſmata, inſcriptiones, aliaque hujuſmodi luculentiſſima cæteroquin veritatis teſtimonia non ſint expiſcati. Verum hæc via, ut ut præclara nimis, tamen longa; illa vero proxima eſt, atque compendiaria, nempe peritiſſima linguarum cognitio. Hac enim ſtylus a ſtylo,

manus a manu, penicillus a penicillo diſtingui poteſt, & quemadmodum genuini nummi ab adulterinis tinnitu ipſo a callidis æſtimatoribus dignoſcuntur, ita ſingulorum ſcriptorum voces ab illis, quæ eorum non ſunt, a purgatæ auris, ac emunctæ naris viris ſonitu ipſo, atque nidore ſentiuntur. Neceſſaria igitur optima veterum linguarum notitia, ac præcipue linguæ latinæ, tum quia latini libri graviora vulnera paſſi ſunt, tum quia ſunt teſtes Traditionis, Diſciplinæque Eccleſiæ Romanæ, quæ Eccleſiarum omnium parens, dux, & magiſtra & habita ſemper fuit, & nunc habetur, & eſt. Poſtquam in linguarum ſtudiis, veluti in doctrinarum atrio, veſtibuloque deſedimus, anno III. e carceribus emiſſi literarum curſum non aliunde, quam ab Hiſtoria Univerſa auſpicati ſumus: hanc nimirum veluti ſedem, baſim, ac fundamentum cæteris diſciplinis ſubſtruendam eſſe, hanc artium, ſcientiarumque omnium pabulum eſſe, nutrimentum, atque obſonium; facultates omnes abſ-

que

que Hiſtoria eſſe umbras ſine corpore, oſſa abſque pulpamento, venas ſine ſanguine. Et quoniam Hiſtoria, niſi habita temporum notatione, & niſi cognito terrarum ſitu, cæca omnino eſt, idcirco anno IV. duo illa clariſſima lumina Chronologiam, & Geographiam Hiſtoriæ præferenda eſſe ſtatuimus. Anno V. in Mathematicorum ſcholas pedem intulimus, ad eaſque tamquam ad Suadæ templum ſacros Oratores invitavimus: immane diſtare inter Oratores profanos, & ſacros; illos enim nervos omnes intendere, ut populo imponant, ut tenebras Judicibus offundant, ut cauſa inferior evadat ſuperior; hos vero viribus omnibus elaborare, ut veritatem puram, ſinceram, ſimplicem in Audientium animis inſculpant, ideoque indigere famulatu, ac miniſterio Geometrarum, atque Arithmeticorum, qui pro more habent, inſtitutoque non veroſimilia, non probabilia, non in opinione poſita eloqui, ſed vera, ſed certa, ſed luce clariora digito veluti oſtendere (Geome-

træ); non res generatim, univerſe, ſummatim attingere, at ſingillatim, minutatim, partite oculis ipſis ſubjicere (Arithmetici). Anno VI. cum Poetis ſocietatem inivimus, quorum ſermo, atque eloquium orationi noſtræ granditatem, concinnitatem, ſuavitatem conciliavit. Verum Græcos, Latinos, inſuper recentiores Poetas a congreſſu noſtro abſterruimus, atque Hebræorum conſuetudinem, familiaritatemque requiſivimus: nil concinnius Pſalmis, nil grandius Prophetiis, nil Canticis ſuavius. Anno VII. ſacræ eloquentiæ ludum aperuimus, atque magiſtrum delegimus unum Chryſoſtomum. Demoſthenem, Æſchinem, Iſocratem, Ciceronem, quos tamquam linguarum magiſtros in deliciis habuimus, eos tamquam eloquentiæ Præceptores valere juſſimus. Nobis opus minime eſſe eloquentia muliebriter compta, calamiſtrata, unguento, ceruſſa, pigmentis illita, ſaltatriculæ in morem putide laſciviente, quæ fucum faciat, quæ clamores excitet, quæ perſpicue veris

fidem

ſidem detrahat, incredibilibus probabilitatem afferat, quæ ſeveritatem Judicum inflectat, quæ manifeſtis criminibus conſtrictos tueatur, quæ frontem perfricet, bonamque aliorum famam, laudem, honorem, exiſtimationemque depeculetur; nihil nobis hac arte opus eſſe, ſed ea, quæ tenebras ab hominum animis diſcutiat, quæ omnem errorem eripiat, quæ fundamenta virtutum jaciat, amorem honeſtatis incutiat, vitiorum ſtirpes elidat, quæ a facienda injuria deterreat, quæ divinum amorem in pectoribus exſuſcitet, quæ præmia, quæ juſtos & in hac vita comitantur, & poſt mortem manent, nobis exhibeat, quæ pœnas, quas injuſti nullo modo effugere, ac vitare poſſunt, ob oculos ponat, quæ ſatius eſſe doceat in mendicitate, in exilio, in morbis, in tormentis ac cruciatibus, in infamia & odio, in equuleo atque ignibus pietatem, ac juſtitiam colere, quam ſine pietate, ac juſtitia vivere in ſummis opibus, & bonorum omnium copia, quæ eas,

quæ

quæ ab hominibus improbis proditæ vagantur, & ſparguntur licentius, & per multorum animos quaſi contagione quadam ſerpunt, hæreſes magno argumentorum robore, magna firmitate, magna copia, ingentique orationis impetu frangat, diſſipet atque disjiciat; hac, hac arte nos indigemus. Verum, quid opus eſt, inquies, ad hanc artem nobis parandam in Græciam navigare, quaſi vero deeſſent Latio Cypriani, Auguſtini, Hilarii, Leones, Ambroſii, Gregorii, plurimique alii, qui nobis ad hanc rem præſto ſint? Moveor ſane (quis autem non moveatur!) tot, tantorumque Patrum virtute, quibus nec doctiores terra tulit, nec ſapientiores: verum cum iis temporibus floruerint, quibus braccatæ gentes Latii jure donatæ jam erant, & latinitas exterarum vocum rubigine obducta nativum ſuum decus, ſplendoremque amiſerat, etſi alia in eis ſumma fuerunt, ſumma tamen eloquentiæ laus eſſe non potuit. Recte enim Cæſar, delectum verborum eſſe originem Elo-
quen-

quentiæ; veriſſime Ariſtoteles, primam eloqutionis virtutem eſſe ἑλλάξην, hoc eſt, ut dictio nihil barbarum, nihil inſolens, nihil peregrinum habeat, ſed & ſingularum vocum elegantia, & earum ſtructura, & collocatione ſplendeſcat Oratio. At cum lingua Græca ſuam lautitiam, munditiam, elegantiam uſque ad poſteriora ſæcula retinuerit (*b*), ita etiam Eloquentiæ gloria in Græcia diutius manſit, quæ cum alios ſacros Oratores, tum potiſſimum Chryſoſtomum extulit, qui non minus ac Demoſthenes, & Cicero, vere ad Eloquentiam natus non ſolum bonarum ſententiarum ubertate, ſed bonorum etiam verborum copia nos poteſt exaturare. Defuncti humanioribus literis anno VIII. ad ſeveriores diſciplinas noſmet contulimus, ac primum quidem ad Canonum Scientiam utpote ad illam, a qua tota Eccleſiaſticæ Reipublicæ moles fulcitur, ac ſuſtentatur. Ve-

(*b*) *Saltem in Urbe Conſtantinopolitana, & Antiochena.*

Verum cum Canones omnes rationi, naturæque juri innixi ſint, atque inædificati, anno IX. in Philoſophiæ ſpatiis deambulavimus, ubi maximam voluptatem cepimus, cum ad fontes, ac capita ipſa venimus, ex quibus ampliſſima humani juris flumina manarunt, juvitque nos incredibiliter ratiocinandi ſcientiam noſtrarum conſultationum, noſtrorumque conſiliorum omnium participem fieri. Cum vero humana prudentia, ut rectum, inoffenſumque curſum retineat, Cæleſtis doctrinæ lumine indigeat, anno X. in Theologorum adyta penetravimus, & ſacrarum Literarum lucem noſtræ doctrinæ applicuimus. Atque ut Juriſprudentia inſtructior, & ornatior nobis fieret, anno XI. Eccleſiaſticorum annalium monumenta perluſtravimus, & canonicam ſcientiam ſedulo petitis ex veteri Eccleſiæ Hiſtoria exemplis quaſi ſtellis quibuſdam diſtinximus, atque illuminavimus. Et quoniam Eccleſia in Republica continetur, atque *alterius ſic altera poſcit opem, & conjurat amice,*

ce, ut una abſque alia nec ſtare, nec ducere animam e Cælo queat, anno XII. civilem campum decucurrimus, ac Sacerdotii, Imperiique fœdus ſanximus, concordiamque firmavimus. Anno XIII. medicorum pulverem collegimus non indecorum: nobis illum quidem; nam, ut mittam quantopere hæc olim ſcientia Eccleſiæ popularibus, civibus, atque optimatibus nota fuerit, atque ut prætercam, quod Gallenus ait, Anatomen Theologiæ initium eſſe, pulcherrimamque humani corporis fabricam ad Divini Opificis cognitionem, & cultum homines pertrahere, ut, inquam, hæc omnia mittam, quid nos Eccleſiaſticos magis decet, quam inſurgentes animorum motus compeſcere, ac cupiditatum longius evagantium vim infringere? Inſunt ſane & in Eccleſiaſticis ſcientiis optimæ animorum medicinæ, prudentiſſimæ leges, inſtituta optima, monita præclariſſima, ita ut multo verius a nobis recini poſſit illud Poetæ:

Fer-

Fervet avaritia , miſeroque cupidine
pectus?
Sunt verba & voces, quibus hunc le-
nire dolorem
Poſſis , & magnam morbi deponere
partem .
Laudis amore tumes? ſunt certa pia-
cula , quæ te
Ter pure lecto poterunt recreare libello .
Invidus , iracundus , iners , vinoſus ,
amator ?
Nemo adeo ferus eſt, ut non miteſce-
re poſſit,
Si modo culturæ patientem commodet
aurem .

Verum licet hæc veriſſima ſint , quis tamen ignorat humanarum perturbationum ſedes in corporibus ſitas eſſe, indolem animorum reſpondere eorum corporum indoli, quibus ſunt illigati, ac proinde corporis partium æquabilitati medicorum vi partæ animi motuum æquanimitatem plurimum debere? Poteſt equidem (quis inficiari auſit?) animus noſter, modo velit (cur autem divina ope fretus velle non audeat ?)

quo-

quocumque in corpore locatus fuerit, cupiditates quaſcumque, altiſſimas licet radices egerint, domitas habere; ſed cur interim faſtidimus libidinibus petulantius laſcivientibus, cupiditatibuſque procacius exultantibus medicæ artis ope fomenta ſubtrahere, ut ſaltem, quod poteſt animus, facilius velit? Anno XIV. ad Eccleſiæ ritus, ceremoniaſque animum applicuimus, oſſeque confracto, nucleis, quibus Eccleſiæ ſpiritus latet, veſci melli fuit, ac genuinum in eos fregimus, qui, quod extra oleam eſt, religioſiſſime lambunt, quod autem in nuce eſt, minime exſugunt. Satis enim dici non poteſt, quam præclara, quam præſtantia, quam ſapientiæ plena Eccleſiæ ritibus, ac ceremoniis occuluntur. Tandem confecto ſpatio, anno XV. ad calcem defleximus, atque ad Hiſtoriam ſanctam, hoc eſt ad Sacram Scripturam, tamquam ad portum appulimus, in qua reliquum omne vitæ noſtræ tempus exigendum conſtituimus. Hanc nimirum ſcientiarum omnium ſcientiam, doctrina-

rum

rum omnium doctrinam, diſciplinarum omnium diſciplinam, bibliothecarum omnium bibliothecam, cunctarum artium, ſtudiorum, humanarum, divinarumque rerum omnium diſcendarum, agendarumque theſaurum eſſe, atque compendium. Atque hæc quidem eſt illa Eccleſiaſtica Encyclopædia, ad quam obeundam, percurrendamque pro virili parte noſtros Clericos cohortatus ſum, non mehercule molis tantæ, quantæ nonnulli fortaſſe opinantur, ſi optima ſtudiorum forma adhibeatur. Verum tam præpoſtera, ac perverſa convaluit ſtudendi, docendique ratio, ut noſtro maximo cum dedecore, ac damno nimis ratam inveniamus Hippocratis illam ſententiam: *ars longa, vita brevis*. Quod ſane quam vere a me dictum ſit, ſi vacat, Amice Lector, mecum hic parumper diſquire. Atque ut a Grammaticis incipiamus, quot annos hi non occupant ſuis regulis, appendicibus, ſcholiiſque, ex quibus nil aliud extricaveris, licet ea torculari premas, teras, triceſque, quam inconditam,

ex-

exſuccam, ac ſtrigoſam loquendi ſartaginem? Quam melius illi ſibi, ſuiſque ſtudiis conſulunt, qui præter pauciſſima elementa, neglectis cæteris omnibus Grammatiſtarum dictatis, ac probatiſſimis Latinis, Græcis, Hebraiciſque ſelectis ſcriptoribus, graviſſimoque cenſore, qui lateri hæreat, eorum ſcripta in vulgarem ſermonem vertunt, dein ita verſa rurſus latine, græce, hebraice reddunt, eaque inſuper uti cibos manſos, ac prope liquefactos multa iteratione molliunt, mandunt, concoquunt, atque in ſanguinem, ſuccumque convertunt ſuum? Ita fit, ut non ſolum puram, ſinceram, incorruptam latini, græci, hebraicique ſermonis integritatem, ac firmam quamdam facilitatem ſua ſponte conficiant, ſed etiam uno, eodemque tempore eloquentiæ fundamenta jaciant, & magnarum, graviorumque ſcientiarum ponant rudimenta. Ac quemadmodum linguarum cognitio, ita etiam eloquentiæ laus, præceptis omnibus ablegatis (infremat per me licet Craſſus apud Tullium)

 ſola

ſola lectione, ac non intermiſſa ſcribendi, dicendique exercitatione facilius comparabitur. Dimiſſis igitur Grammaticis, Rhetoribuſque, atque *diſcipularum inter juſſis plorare cathedras*, Hiſtoricorum manticam excutiamus. Hui quæ, quantæque librorum moles, quibus ſane percurrendis ne longiſſima quidem Neſtoris ætas ſatis eſt! Macte, ne cadas animis. Nam ſi fabulas, commenta, figmentaque omnia ex Hiſtoricorum ſcriptis expungas, quantula reſtat, quam curta, quam contracta eorum omnis ſupellex? Ex qua ſi rurſus æternas illas præliorum deſcriptiones, quæ centies quoque lectæ te hominem certe minime militarem, nihilo facient doctiorem; ſi Aulicarum itidem molitionum, machinarum, fabricarumque loquaciſſimas narrationes, quæ curioſitatis plurimum, utilitatis ferme nihil habent; ſi demum minutulas quæſtiunculas omnes, quæ ſolum ſcribentis curam produnt, legentibus autem faſtidium creant; (parum enim legentis intereſt, modo rem ipſam teneat, ſcire,

re, quæ thyma circumvolitaveris, quos lacus faſtidiveris, quos hauſtus non expallueris, quo te duce, quo lare tuteris; hæc omnia tute tibi habe, aut ſi tua cuncta geſtis omnes a furno redeuntes ſcire, lacuque, hæc nobis ſepoſita trade) ſi, inquam, hæc omnia ex Hiſtoricorum libris ſuſtuleris, quid, quæſo, reliqui nobis eſt? Ego quidem hujuſmodi libros omnes craſſos, & ponderoſos, eo in numero habendos eſſe ſemper putavi, quo λέξικα, Theſauri, Polianteæ, quæ non leguntur, ſed in Bibliothecis aſſervantur, ut ſolummodo, cum res tulerit, conſulentibus præſto ſint. At quouſque tanta quiſquiliarum multitudine obruemur? Quandiu tot ſpicilegia ſine frugibus, vindemiolæ ſine ſucco, mantiſſæ ſine obſonio, medullæ ſine ſapore, noſmet eludent? Quandonam prodibit Hiſtoricus ille, qui, inanibus, ac parum frugiferis amputatis, libello mole quidem parvo, ſed rerum gravitate, & dignitate magno nos tandem doceat, quænam vitia, quæque virtutes in unaquaque

gente præcipue dominatæ ſint, quinam genuinus, germanuſque ſingularum nationum χαρακτηρισμὰ, qui nobis populorum mores referat, cultum, diſciplinam, ritus, inſtituta, ſtudia, linguas, artes, ſcientias, earumque ortum, progreſſum, interitum, reparationem, viciſſitudineſque, harumque adjuncta, ac conſequentia ob oculos ponat, verbo qui ea enarret, quæ homines non corporis viribus, ſed animi vi egerunt, hoc eſt, qui non humanorum corporum, ſed humanorum animorum hiſtoriam contexat? Quam parvo tunc plurimarum, maximarumque rerum vis nobis conſtaret impendio! Venio ad Philoſophos, quorum generoſi conatus ſi non in varietate ſectarum conſumpti, exhauſtique eſſent, ſed eo omnes collineaſſent, ut exquiſitam quamdam, & abſolutam exhiberent hiſtoriam naturæ, non eſſet, cur Philoſophicorum librorum moles, ac magnitudo tantopere nos terreret, & ſine tot erroribus de rerum principiis dijudicare poſſemus. Quid Theologi? Nonne & hi ſi ſcho-

la-

laſticas quæſtiunculas aculeorum pleniſſimas, quibus torquentur ingenia, non erudiuntur, ſi λογομαχίας, ſi diſputationes inanes, & intempeſtivas, ſi exilia, & tenuia omnia relinquerent, ſi humanæ prudentiæ ratiocinationes decurtarent, ſi Eccleſiarum traditionibus venandis, piſcandis, veſtigandis eorum magis deſudaret induſtria, breviore ſane, ac ſecuriore curſu Divinarum rerum ſcientiæ velificarentur. Eccleſiaſtica enim traditio una eſt tutiſſima ſacrarum literarum interpres, una controverſiarum Theologicarum judex ſuprema, una Hæreticorum maſtix invictiſſima. (Vide *Commonitorium Vincentii Lirinenſis, quod totum eſt in hanc rem*). Nam quid tibi Apoſtolicorum temporum memoriam repetenti, ac per univerſam Eccleſiam longe, lateque diſcurrenti, atque unanimi omnium temporum, quæ controverſiam anteceſſere, omniumque Eccleſiarum conſenſione effata tua ſepienti adverſarii unquam reponent? Hic enimvero eſt clavus ille trabalis, qui nullo alio clavo trudi

BIBLIOTECA N. ... ROMA ... VITTORIO E...

di poteſt. Næ Simeonis Sulakami Populorum Indum, & Euphratem interjacientium Patriarchæ, qui temporibus Concilii Tridentini Romam advenerat, ſuæ Eccleſiæ tam diſſonæ linguæ, tam longe a noſtra diſſitæ, & vix nobis cognitæ Traditionem de Canonicis libris, de Purgatorio, de Sacramentis Romanæ (quoad dogma) plane conſonam aſſerentis magis me movet ſicca oratio, quam Sotorum, Salmeronum, Laineziorum unctæ diſputationes. Quid vero de iis dicam, qui Caſuiſtæ appellantur? Novum ſane hominum genus, non olim literario, non Eccleſiaſtico ordini notum, ſed neſcio quo pacto hujuſmodi homines poſterioribus hiſce ſæculis nullo capite cenſi, Theologorum Moralium larva tecti in literariam, atque in Eccleſiaſticam Rempublicam irrepſerunt, ac veluti tribuni ſeditionum, rixarumque ſigniferi fanda nefandis, falſa veris, æqua iniquis ita confuderunt, miſcuerunt, turbarunt, ut vix amplius ſecerni poſſe videantur. Nam modo quid tam turpe, tam indignum dictu, aut

com-

commemoratu eſt, quod non magnus Caſuiſtarum numerus defendat, junctæque umbone phalanges? Quid enim a communi hominum ſenſu magis alienum, quam ut minus probabilia magis probabilibus, minus veroſimilia magis veroſimilibus potiora habeantur? Quid Chriſtiano homine indignius, quam ut homo in actionibus communibus, vulgaribuſque ſe Chriſtianum hominem eſſe non meminerit? Quid adeo veritati inimicum, quam aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promptum habere? Et tamen hæ merces, aliæque peſtilentiores per Caſuiſtas in Chriſtianam Rempublicam illatæ ſunt, accitiſque emptoribus, tanta undique ad eas facta eſt concurſatio, ut jam ſaniores doctrinæ viduitate, & ſolitudine ali videantur. Quid vero cauſæ eſſe putemus, quod noſtris hiſce temporibus, quibus aliæ omnes artes, ſcientiæque florent, & pomeria ſua longe lateque protendunt, unæ Eccleſiaſticæ literæ non eadem modo gaudeant fortuna? Ego certe non aliunde, quam

a Caſuiſtis id ortum eſſe exiſtimaverim. Nam cum olim omnes, qui in Eccleſia aliqui eſſe vellent, provincias omnes Theologicas ſibi perluſtrandas eſſe neceſſe ducerent, Ethicas regiones percurrendas, Juriſprudentiæ tum divinæ, tum humanæ regna obeunda, exorti ſunt novi hi homines, qui ex omnibus hiſce ſcientiis nonnulla capita excerpſerunt, ac peculiarem quamdam facultatem, quam Moralem vocitant, ex excerptis hiſce capitibus proprio marte ſibi coagmentarunt. Hinc fit, ut modo Eccleſiaſtici homines illarum graviſſimarum, & perneceſſariarum ſcientiarum ſtudium remittentes ſibi, ſuoque muneri ſatisfeciſſe videntur, ſi hac una contenti de ſummis illis capitibus valeant reſpondere. Miſeri, ſi ſentiant quantopere hac via ad inſipientiam graſſati ſunt, miſerrimi, ſi ne ſentiant quidem. Nam cum ſumma illa capita (ex Ethicorum, Theologorum, Juriſperitorum, Canoniſtarum fundo tracta) e ſuo ſolo ſeparata, proindeque non ſuis ſtirpibus inhærentia, non ſuis princi-

piis

piis nixa, non ſuis fundamentis ſufful-
ta, non ſuis antecedentibus, non ſuis
adjunctis conſuta in Moraliſtarum fa-
cultate reperiantur, quis non videt,
quæ, & quanta inſcitia Moraliſtarum
ſtudium ſit conſequtura? Quare, ſi me
audiant Moraliſtæ, deſinant tam præ-
claro nomine fucum nobis facere, red-
dant ſua Ethicis, ſua Juriſperitis, ſua
Canoniſtis, Theologis ſua, & ſinant
nos ea e ſuis fontibus, e ſuis fundis
una cum ſuo ſucco, una cum ſuo hu-
more haurire; ipſi vero colligant quæ
ſua ſunt, hoc eſt tollant diſtinctiones
illas a ſemetipſis inventas, atque con-
fictas, quæ Talmudicum cœnum olent,
& Rabbinorum gannitus ſonant; tol-
lant illum Probabiliſmum, quem ipſi-
met ad Chriſtianam diſciplinam turban-
dam, vexandam, lacerandam ex Inferis
evocarunt, educant actus illos indif-
ferentes, efferant reſtrictiones mentales,
aliaſque putidiſſimas merces fornicibus
dignas, quas ii male feriati ad morum
nitorem conſpurcandum ſuo ingeniolo
procuderunt, tum vero, ſupputatis ra-
tio-

tionibus, nihilque præterea in ſuis arculis reliqui eſſe manifeſto judicio convicti e literariæ Reipublicæ cenſu cunctis literatorum ordinibus ſuffragantibus penitus eradantur. Hac ſentina ab Eccleſiaſtica Republica, atque e literario Regno exhauſta, & ejecta, quam magna nos eodem tempore ſeſquipedalium librorum ſarcina exonerati ſumus, ingentique Auctorum eadem fere, iiſdemque etiam (quod mirari ſatis non poſſis) verbis recinentium, odioque ſuo legentes enecantium multitudine relevati? Jam vero elapſi Caſuiſtis ad Juriſperitos accedamus, homines plane dignos, qui a nobis cognoſcantur; ſacra enim omnia, atque profana in horum latent tutela. At quanta, bone Deus, hic quoque & ſcriptorum copia, & librorum obruimur multitudine! Obruatur ſane, ſiquis vult; nos vero Interpretes, Gloſſatoreſque blattarum, ac tinearum epulis relinquentes, in intima Canonum, legumque principia noſmet abdamus plurimum certe frugis minimo labore ita collecturi. Verum ut

de

de tota re quid ſentiam, paucis expediam, maxima rerum diſcendarum moles temporibus, ſtudiiſque noſtris incumbit, non quia artes, ſcientiæque longæ per ſe ſint, ſed quia longa nos via ad eas imus, quia in earum tractatione non ineſt conſentiens ille, ac ſemper ſibi conſcius materiarum ordo, non tenax ille rerum omnium ſibi cohærentium nexus, quia *ὕστερα πρότερα*, quia denique omnis abeſt *οἰκονομία* atque *εὐταξία*. Nam ſi ſcientiæ eadem ferme *μεθόδῳ* traderentur, ac mathematicæ artes, in quibus non ſexcentis problematibus memoria oneratur, verum eæ tantum definitiones, axiomata, theoremata animo inſculpuntur, quæ ad quælibet problemata marte noſtro ſolvenda ſua nos ſponte ducunt, quam parvo labore, quam brevi tempore magnarum artium ac ſcientiarum prudentia animus noſter diteſceret, ac locupletaretur? Nondum de Communibus Eccleſiaſticis loquor, quorum opes, ac vires ſi in Commune literarum conferrentur, quanto brevior fieri poſſet ſtu-

dio-

diorum curſus, quanto opulentior doctrinarum theſaurus! Vivimus immortali Dei Optimi Maximi beneficio in ea Religione, in qua plurimi Regularium virorum cœtus communi ſumptu aluntur (*c*). Quæ incrementa, quæ lucra ab hiſce hominibus a populo, a turba ſemotis, honeſto in otio, ac loco poſitis, domeſticorum negotiorum, familiariumque rerum cura vacuis bonæ literæ ſibi polliceri non auderent? Si in aliquo Regularium ordine ea potiſſimum vigeret Regula, ut nullæ aliæ ibi eſſent aures, niſi puræ putæ latinæ, in alio niſi græcæ, in alio niſi hebraicæ, quam cito Adoleſcentes horum Regularium conſeſſores, convivæ, contuber-

(*c*) Dum cogitabam de hoc opuſculo in lucem emittendo una cum hac Præfatione, quæ jam nonum premebatur in annum, ephemerides literariæ hoc novi attulerunt. *Alcuni giornali avevano parlato della nuova Stamperia, che i PP. Ciſtercienſi di S. Ambrogio Maggiore (di Milano) anno aperto entro la clauſura del loro Monaſtero a vantaggio delle lettere, e per loro eſercizio di ſupererogazione: ma non eraſi ancor detto, come a ciaſcun Corpo Regolare della Lombardia Auſtriaca per le provide cure di quel Sovrano è ſtata aſſegnata una data ſcienza, o arte da coltivare, e promovere in modo ſpeciale.* Gior. Lett. ai confini d'Italia. N. XXXIX. Pag. 308. An. 1780.

bernales qualibet alia ſocietate ſibi interim interdicta nativo harum linguarum ſucco imbuerentur? Idem dicendum de artibus, ac ſcientiis. Si ſingulæ a ſingulis ordinibus unice colerentur (plures enim ſunt, & citius artes ordinibus, quam ordines artibus, ſcientiiſque deeſſent) nec quiſquam ulla in familia ſolemnia vota nuncupare poſſet, niſi prius in ſingulis aliis ordinibus (hoc eſt in ſingulis aliis artibus, ſcientiiſque Eccleſiaſtico viro dignis) meruiſſet, ac rude donatus eſſet, magna certe nos tunc ſpes teneret, fore, ut ſingulæ artes a tot ingeniorum millibus ſubactæ, mollitæ, novatæ, iteratæ, excultæ, expolitæ ad ſuam maturitatem feſtinanter properarent, nec magno tunc nobis labori, ac temporis venirent impendio. Neque Hæretici tamdiu in Eccleſia debacchati eſſent, debaccharenturque, ſi ſingulæ hæreſes a ſingulis Regularibus ordinibus (nam tot numero ſunt, ut & ſcientiæ ſuos cultores,& Hæretici ſuæ pervicaciæ, ac temeritatis ultores haberent) ex voto, inſtitutoque oppugnatæ eſſent, oppugna-

gnarenturque. Quanti vero faciendum eſt illud, quod viri diverſarum nationum, ac gentium in unam Regularium familiam ſolent coaleſcere? Ego vero optarim, ut cum nulla terrarum pars tam barbara ſit, quam noſtræ fidei lumen non pervaſerit, nulla in ulla Regularium familia deſideraretur natio. Nemo ſane tanti æſtimarit, quanti hoc rei literariæ valeret amplificationi. Nam quoad longiſſime mens mea reſpicere ſpatium præteriti temporis poteſt, ad tria præcipue ſæcula aſpicio, quæ longe præ cæteris literarum luce claruerunt, nempe ad ſæculum Alexandri Magni, quod extulit Iſocrates, Platones, Ariſtoteles, Demoſthenes, Æſchines, Theophraſtos, alioſque permultos; ad ſæculum Cæſaris Auguſti, quod vidit Tullios, Horatios, Virgilios, Salluſtios, Nepotes, plurimoſque alios; ad ſæculum Leonis decimi, cui reparatæ literæ cognomen indidere, quodque tulit Politianos, Bembos, Sadoletos, Fracaſtorios, Alciatos, Caſas, Muretos, Manutios, alioſque, quorum numerum non facile expedies.

Quæ-

Quænam res iis ſæculis tantam hanc gloriam peperit, niſi ſæculo Alexandri peregrinationes in remotiſſimas terras a Græcis novas literarias merces, novas opes conquirendi cauſa ſuſceptæ; ſæculo Auguſti Græcarum, Latinarumque literarum, & ſtudiorum facta conſociatio; ſæculo Medicæo, Græcis ſubactis, atque in Italiam tamquam in Aſylum confugere coactis, inter Græciam, & Latium inſtaurata communio? Quid? Nonne ſæculo hoc noſtro nauticarum rerum ſcientia ad ſummum pene evecta, aditusque ad ignotas terrarum orbis partes patefacti, cumque novis gentibus coita ſocietas rem literariam magno cumulo auxerunt? Quid igitur, ſi tot, tamque alienigenarum mentium, diſſimilimorumque ingeniorum vires, & opes in unius familiæ communionem eſſent collatæ? Qui, quantique fœtus ex hac commixtione non eſſent orituri? Quemadmodum ex lapidum conflictu, ac tritu ignem elici videmus, ita ex variarum humanarum opinionum, atque ex diverſorum morum, conſuetudinum, inſtitutorumque conflictione ſapien-

pientiæ lucem emicare contueremur. Quot, ſuperſtitiones, quibus plures gentes conflictantur, quot opinionum commenta multorum populorum animis penitus inſita, ac vetuſta in hac tritura non eliderentur! Tunc enimvero collectis omnibus humani ingenii viribus error profligaretur, ac veritas democritico puteo demerſa tandem aliquando in apricum proferretur. Verum, dum hæc nova expectantur, nos utamur præſentibus, & quantum in nobis eſt, curis, vigiliis, & laboribus artium, ſcientiarumque culturam ad exitus optatos pervehamus. Ad me quod attinet, diu in Eccleſiaſtica Jurisprudentia hoc ſaxum volvo, ut eam & lautiorem, & parabiliorem efficiam. Num res ex voto ceſſura ſit, Deus aliquis viderit. Tu modo patere, Amice Lector, ut ſpecimen aliquod hoc libello tibi exhibeam, in quo ejus, quem conor effingere, Canoniſtæ imago adumbratur. Hanc ſi æqui, bonique feceris, ipſum poſtea Canoniſtam (hoc eſt univerſum Jus Eccleſiaſticum) dabo. Interim vale; & nos, noſtraque amato.

ORA-

ORATIO I.

QUonam Eccleſiaſticæ Juriſprudentiæ fato fieri dicam, ut quæ olim in ſcholis dominari, diſciplinarum omnium clavum tenere (1), ordines ducere, claſſes regere ſolita fuit, nunc mutata temporum ratione, aliis artibus, ſcientiiſque in Academiis, in conſultationibus, in ſubſelliis cum dignitate regnantibus, ipſa e literariæ Reipublicæ principatu non modo de-

(1) Thomaſſ. de Vet. & Nov. Eccleſiæ diſcipl. p. 2. c. 97. ait: *ad ſtudia Canonum .... diſciplinas omnes cæteras collimaſſe temporibus Caroli Magni*. Claudius Fleury Inſt. J. E. p. 1. c. 20. ait: *ad pandendum aditum ad canones, & decretales ..... cœptum eſſe ab artibus, ſcilicet Grammatica, Dialectica, Humanioribus, & Philoſophia*.

Bohemerus ibid. notat: *Univerſitates unice primario inſtitutas fuiſſe propter Hierarchiam Eccleſiaſticam, & ſtatum Eccleſiaſticum confirmandum*.

truſa ſit, verum etiam ſenatu ejecta, æqueſtri ſella privata, tribu mota, omnique pene cenſendi jure minuta eſſe videatur? Nam & linguarum ſtudia in omnibus fere gentibus modo vigent, & Templa, Roſtra, Curiæ quotidie perſonant Oratorum vocibus, & Poetarum cantibus, ac verſibus Frontonis platani, refractaque marmora clamant. Quid Medici? quid civilium legum periti? Nonne eorum artes ubique florent, & baſilice, lauteque tractantur? Quid Philoſophi? quidque ii, qui Mathematici vocantur? quam multa habent Lycea? quantaque ad eos convenientium multitudo? Ad hos enim præcipue noſtris hiſce temporibus juventus ſolet ventitare, cum hiſce familiariter vivere, pernoctare, peregrinari, ruſticari: horum namque doctrinæ ſolent nunc cunctis ſalivam movere, ſtudia allicere, aures tenere, animos demulcere. Una eſt Eccleſiaſtici Juris facultas (2), quæ deſtituta cul-

(2) Cum a me hæc oratio inſtituta fuit, nondum ille Canonicorum ſtudiorum ardor erat, quo nunc Germanos præcipue fervere videmus. Unus fere tunc temporis in Italia Benedictus XIV. enumerari poterat, qui acerrimis ſuis ſtudiis hanc ſcientiam vere excoleret, exemploque magis, quam favore promoveret. *Vid. Orat. IV. ad calcem.*

Apud

cultoribus, orbata clientibus; viduata alumnis, ſitu obſita, ſqualloré obducta, macie enecta latebras quæritare jubetur. Paucas jam habet neceſſitudines, quibus utatur, pauca hoſpitia, ad quæ divertat, pauculos amicos, quorum ore, colloquio, conſuetudine recreetur. Illi ſolitudo pro frequentia, ſilentium pro clamore, umbra pro ſole, inopia & ſordes pro opibus, & dignitate. Indignior viſa res eſt, quam ut eam ulla amplius poſſit ratione diſſimulare. Itaque illa vobis hodierno die ſe ſe ſiſtit, Auditores, eamque rogationem fert, ut, ſi minus ab aliis, a ſuis ſaltem ſe humanius excipi, impenſius ediſci, neque tanto cum probro, atque dedecore negligi decernatis. Se ab iis non coli, qui profanis curis diſtenti, civilibuſque rebus implicati ſunt, quamquam ægre, tamen patitur; verum ab iis ipſis deſeri, quos in fide, ac cura habet, qui Eccleſiæ nomen dederunt, qui in Eccleſia ſtipendia merent, verbo, qui Eccleſiaſtici ſunt, hoc vero ferre nullo modo poteſt. Huic ego cauſæ, tam juſtæ patronus, atque

Apud nos (Germanos) Epocha reſtaurati Juris Eccleſiaſtici elapſo jam medio & amplius hoc ſæculo contigit. *Eybel Introductio in Jus Eccl. Cath. l. 4. c. 2. §. 74. n. 6.*

hujuſce nobiliſſimæ Facultatis defenſor in hunc honeſtatis pleniſſimum locum, totius rei noſtræ literariæ auſpiciis ſolemnibus conſecratum, Ampliſſimi Epiſcopi * præſentia, ingenuorum adoleſcentum conſpectu, virorum ex omnibus totius Civitatis ordinibus collectorum corona, literatorum hominum frequentia ſtipatum hac luce deſcendo, non inutilem, credo, operam navaturus, ſi illam, quemadmodum ſpero, ab ſilentio, & oblivione in conſpectum hominum, & in priſtinam lucem aſſeruero. Quidni autem? Illam namque ſcientiam e latebris vindicandam ſuſcipio, quæ Eccleſiæ columen, Sacrorum cuſtodem, & vindicem, Chriſtianæ Reipublicæ præſidium, & incrementum ſe eſſe profitetur, cujus cognitionem neceſſariam, atque jucundam fore mea vobis ſpondet, ſancteque recipit oratio.

Platonem dicere ſolitum ferunt, tum demum Reſpublicas beatas fore, cum eas aut Philoſophi regerent, aut qui regerent philoſopharentur. Vere ne, an ſecus a divino illo viro id dictum fuerit, viderint alii. Ego certe Eccleſiam tum demum maximam, florentiſſimamque fore putavero, cum Eccle-

ſia-

* Concordienſis.

ſiaſtica munia aut Canoniſtæ obierint, aut qui obierint in Canonum ſtudiis verſati fuerint. Nam cum Eccleſiæ felicitas in eo potiſſimum ſita ſit, ut oves, quæ in illius fidem, & clientelam conceſſere, ſaluberrimo, optimoque paſtu (3) alantur, augeſcant, pubeſcant, atque pingueſcant, quis non videt, pulcherrimam tunc futuram Eccleſiæ faciem, cum ii paſtores contigerint, qui ſapientia, & doctrina præſtantes probe noverint illas Chriſtianæ prudentiæ rudimentis lactare, Sacramentorum ope enutrire, divini verbi vi roborare, veterum Patrum inſtitutis, more majorum, Eccleſiæ diſciplina ſaginare, legum auctoritate & ſanctimonia ad morum honeſtatem, ad vitæ probitatem, ad virtutum cumulum evocare? Neque enim ſolo Fidei pabulo paſcuntur oves, ſed morum etiam nutrimento (4) opus eſt; quinimmo in moribus maximum momentum poſitum eſt, cum uti corrupti humores e ſtomacho ad animi ſedem redundant, ita & mores depravati ab actione vitæ ad fidei domicilium labefactandum manent.

(3) Joan. ult. *Paſce oves meas.*
(4) Melchior Canus l. 5. c. 5. *Non enim moralis diſciplina minus exigitur ad paſtum ovium Chriſti ſalutarem, quam fidei diſciplina.*

nent. Regnet igitur in Eccleſia tamquam in ſuo Regno optimorum morum magiſtra, ſanctiſſimæ diſciplinæ parens, præclariſſimarum virtutum altrix, religioſiſſimæ vitæ dux ſacra Juriſprudentia, Eccleſiæque æadituos, & alumnos ſua ſuppellectile ornet, luce veſtiat, doctrina colluſtret, iiſque luminibus coloret, quibus in domo Dei poſſint collucere. Quid enim potius? Quidnam aliud poſtulabat Divus Paulus, cum Timotheo ſuo tantopere commendavit, ut pectus ſuum ea compleret ſcientia (5), qua fretus eam vitæ conſuetudinem tenere poſſet, quæ digna Eccleſia, digna aris, digna præſide, digna pontifice videretur, & eſſet? Quid primævi Chriſtiani, ut eam Eccleſiæ formam moribus ſuis exprimerent, quæ cunctis poſtea Chriſtianis exemplo, omnibus ætatibus, ſæculiſque admirationi eſſet, quæque declararet, Eccleſiam non hominum inventum, ſed opus eſſe Dei Optimi Maximi, proindeque ejus initia non ut aliarum rerum omnium parva eſſe, & nonniſi ſuis progreſſionibus uſa augeri, ſed ſtatim tanta extitiſſe, quibus nil majus conſequentes anni affer-

(5) Apoſtolus ad Timotheum c. 3. *Ut ſcias, quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi.*

afferre poſſent? Quid egerunt? quid conſilii cæperunt? quo ſe verterunt? Nonne ad Apoſtolorum doctrinam ſe ſe retulerunt (6), in eamque ſe totos ingurgitarunt, hanc videlicet unam ad perfectam vitæ ſanctitatem proximam eſſe, ac compendiariam rati, hanc ſapere ſolam, reliquas vero tamquam umbras per inane volitantes vagari? Verum ut non ſolum mente perſpicere, verum etiam oculis ipſis contueri poſſimus ab rerum Eccleſiaſticarum ſtudiis (7) Eccleſiæ felicitatem pendere, per omnia Eccleſiæ ſæcula, & loca diſcurramus, & Canonicis literis florentibus, Eccleſiam etiam floruiſſe, illis re-

 fri-

(6) Act. Apoſt. c. 2. v. 42. *Erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum.*

(7) *Eccleſiaſticas, aut Sacras, aut Divinas, aut Chriſtianas literas cum primis Eccleſiæ temporibus nomino, Canonum ſcientiam dico: nondum enim erant ſacrarum diſciplinarum facta divortia, uti nunc.* Thomaſſ. de V. & N. E. D. p. 2. l. 1. c. 91. n. 13. *Scitiſſime a Joanne Perſonio animadverſum eſt per priora quatuor, aut quinque Eccleſiæ ſæcula, eoſdem etiam Eccleſiæ ſanctiſſimos Patres, & Canoniſtas fuiſſe, & Theologos.* Faciol. Synt. 7. *Neque Patavii, neque Bononiæ primis temporibus alia fuere Theologica ſtudia, quam quæ ad Religionis & Eccleſiæ ſtatum conſtituendum Conciliorum decretis, & ſummorum Pontificum conſtitutionibus continentur: quique ita tenerent, aliiſque explicarent, ſacrorum Canonum Profeſſores dicebantur.*

frigeſcentibus, hanc etiam extabuiſſe, illis denique inſtauratis, iſtam quoque caput extuliſſe, & ad priſtinæ fortunæ ſpem revixiſſe intelligemus. Ac primum quidem ponite vobis ante oculos Apoſtolica tempora, & perveſtigate, quid ſit, quod Romanorum, Corinthiorum, Epheſiorum, aliorumque populorum pluribus Chriſtiana religione initiatis, Hieroſolymitana tamen Eccleſia morum ſanctitate tantum ſupra cæteras eminuerit, *quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi?* Tu, qui hujuſce rei cauſam tam ſapienter requiris, Dive Auguſtine, quamnam tandem nobis promis? Nimirum, inquit ille (8), ad Eccleſiam Hieroſolymitanam ii uni confluxerant, qui Iſraelitis parentibus orti una cum lacte majorum ſuorum traditiones ſuxerant, ſanctarum Scripturarum lectionem ebiberant, divinæque legis præcepta exhauſerant, aliæ vero Eccle-

(8) Thomaſſ. p. 1. l. 3. c. 2. n. 3. *Itaque non immerito Auguſtinus (de moribus Eccleſiæ Catbolicæ) hunc eximium fructum, quem ex Moſaicis inſtitutis collegerant fuiſſe Judæorum docet, ut parati ſtatim fuerint ad eam eniti perfectiorem vivendi formam, ad quam Gentiles converſi niſi poſt aliquot ſæculorum rudimenta pertingere non potuerunt*. Vide etiam Fleury in libello, cui titulus: *Mores Chriſtianorum*.

cleſiæ Ethnicos etiam complexæ erant, qui *hoſpites erant Teſtamentorum* (9). Deſcendamus porro ad ea tempora, quæ Apoſtolorum ætatem exceperunt, & quæramus, quidnam cauſæ fuerit, cur teterrimi illi tyranni non ſolum Chriſtianis hominibus, ſed eorum etiam libris tam atrox, tam crudele bellum moverent, majoreque curá, & ſtudio Chriſtianos libros, quam ipſos Chriſtianæ Fidei athletas ad interitum vocarent. Senſerant enimvero ipſi Chriſtiani nominis infenſiſſimi hoſtes, nulla alia ratione rem Chriſtianam perdi poſſe, quam ſi Chriſtianæ literæ e medio tollerentur, ruere haſce non poſſe, quin & illa eodem labefactata motu concideret. Neque eos porro fallebat opinio. Mirum enim quanta ſit noſtrarum literarum, & Religionis ſocietas, atque hinc quantopere illæ Eccleſiæ floruerint, in quibus harum literarum ſtudia viguerunt. Nam, ut ad inſequentia ſæcula veniamus, quænam ætas tam aurea affulſit Alexandrinæ Eccleſiæ, quam ea, qua ex Pantænea Schola (10) tamquam ex equo Trojano pro-

(9) *Epheſ.* 2. 12.

(10) Euſebius l. 5. c. 10. 11. *Per idem temporis Fidelium ſcholæ præerat vir doctrinæ cauſa celeberrimus*

prodierunt Clementes, Dionyſii, Athanaſii, qui aureis quodammodo ſanctitatis arenis Ægyptum totam locupletarunt ? Quandonam Africa illuſtriora vidit virtutum exempla, quam cum Auguſtinus (11), Auguſtinique exemplo excitati Evodius, Benenatus, Severus, Novatus, Alipius Canonicarum (12) doctrinarum ſedem, ac domicilium

mus Pantænus, quippe jam inde a priſcis temporibus Sacrarum literarum ſchola in ea Civitate fuerat inſtituta, quæ quidem noſtra adhuc ætate perſeverat.

Thomaſſ. de V. & N. E. D. p. 2. l. 1. c. 88. n. 8. *Ibant in Alexandrinæ Eccleſiæ exempla cæteræ, ut exiſtimo, Eccleſiæ, habebantque & ipſæ juniorum Clericorum ſcholas Scientiæ, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ veluti officinas, in quibus fingerentur, & imbuerentur Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi aliquando Eccleſias moderaturi.*

(11) Thomaſſ. de V. & N. E. D. p. 1. l. 3. c. 3. n. 3. ait: *Ex quo (Seminario Auguſtini) prognati ſunt illi vel Epiſcopi, vel Cleri proceres, quos in omnes Africæ Eccleſias diſſeminaverat.* & n. 11. ait: *Seminaria in Africa (ad exemplum Auguſtini) in dies fuerunt crebriora, cujuſmodi fuerunt Evodii, Benenati, Severi, Novati, Alipii.*

(12) Thomaſſ. p. 2. l. 1. c. 88. n. 4. ait: *Qui potuiſſet Auguſtinus Africanorum Conciliorum ingenium a Proſpero dici, & omnium longe præſtantiſſimam diſciplinam Africanæ Eccleſiæ editis tot canonibus condere, & temperare, niſi ſedulo ipſe in canonum ſtudia incubuiſſet? qui alias potuiſſet in tot Conciliis particularibus, & univerſalibus controverſias definire? & qui ſtatui feciſſet in Concilio Carthaginenſi quarto,*

lium in ſuis ædibus collocarunt? Anne umquam meliore diſciplina florentem accepimus Eccleſiam Græcam, quam cum Eccleſiaſticis literis, ac ſacrorum Canonum Studiis perfugium Cænobia præbuerunt (13)? Inde enim oriebantur Baſilii, Nazianzeni, Niſſeni, inde ſplendidiſſima Orientis lumina exibant. Verum hæc eadem Græcia quam diſſimilis ſui, cum iſti fontes exaruerant, cumque ſævientibus Iconomachorum procellis œcumenica (14) Conſtantinopolitana ſchola, quæ jam inde a Conſtantini Magni ævo tot, tantoſque extulerat Eccleſiæ

ro, ut ne in fori Eccleſiaſtici cauſas diſceptaret Epiſcopus, niſi in conventu Cleri ſui, niſi antea induiſſet curam ejuſdem Cleri ſacrorum Cavonum peritia imbuendi, cum Canonicis regulis finiendæ ſunt lites?

(13) Thomaſſ. ib. p. 2. l. 3. n. 14. ait: *Fateri tamen cogimur, Monaſteria in Oriente inſtar fuiſſe Seminariorum, ex quibus Epiſcopi aliquando, præſtantiſſimique Clerici arceſſerentur.*

(14) *Scholæ cum ſacra doctrina exciderunt, quæ a ſæculo Sancti Conſtantini Magni uſque ad ea tempora floruerant. Apud Regiam Ciſternam Palatium erat venerabile; in quo juxta antiquam formam Œcumenicus Magiſter ſedebat duodecim habens diſcipulos conditione, & vita graves. Hi cum omnem dicendi ſcientiam celeritate, & amplitudine ingenii percepiſſent, Eccleſiaſticam divinarum rerum ſapientiam acri ſtudio tractabant. Abſque horum conſilio quidquam agi ipſis quoque Imperatoribus nefas putabatur.* Hæc Cedrenus. Vide etiam Zonaram, & Codinum.

ſiæ proceres, una cum lautiſſima bibliotheca conſceleratiſſimo tyranno inſtigante Leone Iſauro incendio deflagravit ? Tanta enimvero illico conſequuta eſt rerum ſacrarum perturbatio, ut toti Orientali Eccleſiæ ultimum veniſſe exitium (15) videretur, conclamatumque jam tunc erat, niſi Barda vetuſtæ gloriæ memor priſtinam Eccleſiaſticis literis incolumitatem reddidiſſet. Sed quam brevi ſtetit ea Bardæ gloria! quam ſubito poſtea evanuit illa Conſtantini Junioris rediviva lux! quam cito tandem referbuit, ac recidit recens ille Alexii Comneni conatus! Nam quæ publicam libertatem armis oppreſſerat teterrimarum gentium illuvies, rem literariam etiam obruit, Chriſtianumque nomen pene delevit. Verum ut e Græcia ad Latium migremus quænam res

(15) Quærit Balſamon in Can. 2. Conc. VII. *Dixerit quiſpiam, quomodo Sancti Patres non dixerunt, eos debere ordinari, qui ſacros Canones norunt, ſed eos, qui Pſalterium tantum norunt, curam gerere. Reſpondet autem diutina, ac ſæviſſima Iconoclaſtarum perſecutione oppreſſa, & extincta pene fuiſſe inter Catholicos literarum ſtudia, atque ideo diſpenſatione plurima utendum fuiſſe quoad Pſalterium, ne prima quidem poſſe Clericum ſuæ Profeſſionis elementa tenere, niſi laudes divinas canere didiciſſet.* Can. 2. Conc. VII. *Definimus, omnem, qui ad Epiſcopatus provehendus eſt gradum, Pſalterium noſſe.*

res Romanam Eccleſiam Chriſtianarum literarum, & virtutum ſobole ſemper feraciſſimam, atque omnium facile principem, nec non Hieronymi, Ambroſii, Leonis, plurimorumque aliorum maximorum Pontificum, & Patrum ſapientiæ eloquio lætam, ovantemque, ſed pulſo ab Herulis Auguſtulo, extinctoque Romano imperio afflictam, & labantem, quænam, inquam, res inter tot barbarorum cædes, & incendia ſuſtinuit? Nonne celeberrima illa Lateranenſis ſchola, quæ opulentiſſima Gregorii Magni (16) dote aucta, & locupletata copioſiſſimas opes ſuas in omnes Occidentis Regiones effudit; cujus alumni Viſſigothos ex Ariana perfidia ad Orthodoxam fidem reduces, veluti novellas in hortum Chriſti traduces plantas divinis imbribus irrigarunt, ab Anglis veterum ſuperſtitionum caliginem diſpulere, ve-

(16) Thomaſſ. p. 1. l. 3. c. 5. n. 10. *Florentiſſimum erat omnino Seminarium & ſchola (Divi Gregorii) cui par nulla, & nulla ſecunda Divinarum Diſciplinarum, & religioſarum virtutum ſplendore.*

De ſchola Romana Palatii Pontificii ita Joannes Diaconus in Gregor. vita l. 2. c. 12. *Videbantur paſſim cum eruditiſſimis Clericis adhærere Pontifici Religioſiſſimi Monachi..... Tunc rerum ſapientia Romæ ſibi templum viſibiliter fabricarat, & ſeptemplicibus artibus, veluti columnis nobiliſſimorum totidem lapidum, Apoſtolicæ Sedis atrium fulciebat.*

verumque Dei cultum eorum animis inſeruerunt, Chriſtianum Francorum agrum alibi ſterileſcentem, alibi otioſum, alibi incultum mirifice fæcundarunt, plurimaſque alias terras longe lateque patentes Cæleſti rore perfuderunt? Quid vero dicam de Carolo Magno? Quibus artibus Princeps hic ad Imperii, & Sacerdotii dignitatem reparandam veluti e Cœlo miſſus rem tantam eſt aggreſſus? Nonne totus in eo fuit, & lacertos, vireſque omnes exeruit ſuas, ut Eccleſiaſticarum Diſciplinarum, aliarumque, quæ hiſce ancillarentur, quæque in has, ſicut lineæ in centrum conſpirarent (17), artium ſtudia auctoritate, & exemplo commoveret? Satis enimvero id declarant & Palatinæ Scholæ inſtitutæ, & Epiſcopales, ac Cenobiticæ auctæ, ad quas tamquam ad artium, & diſciplinarum emporium ſtudioſa juventus conveniret. Atque utinam, qui Caroli Magni imperii, ii & ejuſdem conſiliorum, ac providentiæ hæredes extitiſſent, & quæ tantus vir molitus ædificarat, ipſi tandem avitæ voluntatis memores exædificaſſent! Sed neſcio quo fato vicerat inertia, & denſa, atque opaca nox omnem prope di-

(17) Vide notam 1.

diſciplinarum lucem extinxerat (18). Hic ego quid obductam jam Eccleſiæ cicatricem refricem, cujus facies, graſſante per omne vitiorum genus ignorantia, admodum fæda tunc proxima exitio fuit, tantumque non periit, quia perire non poterat? Quid memorem, quanta per ſeptingentos & amplius annos, quibus Eccleſiaſticæ literæ jacuerunt, malorum ſeges ſuccreverit, quantaque corruptelarum alluvies in Eccleſiam exundarit? Tunc enimvero libido, avaritia, ambitio, deſidia, vinolentia, cæteræque hujuſmodi peſtes e carcere eductæ, quo eas veterum Canonum reverentia incluſas rigidiore cuſtodia continebat, per omnem turpitudinem ruere, ac debacchari; Chriſtiani non amplius ad Divinam legem actiones ſuas caſtigare, ſed Dei legem ad ſuas cupiditates detorquere; plena omnia licentiæ, plena rixarum, plena cædis, plena furoris, plena violentiæ; Eccleſiaſticorum mores di- fluen-

(18) Anno 1260. Concilium Colonienſe: *Qui (Clerici) ſciant legere, & cantare competenter ad Divini Officii miniſterium*. Anno 1311. Concilium Ravennatenſe: *Competenter ſciat (Parochus) legere, & cantare Divinum Offitium.; (Canonici Cathedralium) legere, & cantare, & competenter conſtruere*. Anno 1368. Concil. Val. *Grammaticam ſciant, & latinis verbis loqui valeant competenter*.

fluentes, ac diſſoluti procacius inſoleſcere; non religionem, non pietatem, non divinum cultum penſi habere, ſed ſacra, & divina omnia rationum ſuarum commodis metiri; in ſacris ædibus vaſta omnia, mutæ concionatorum voces, elingues Catechiſtarum exhedræ, tacita pſallentium ora, nudæ paſtorum ſedes, vacua miniſtrorum ſubſellia, munerum functiones deſertæ, ſpreti ſacrorum ritus, ceremoniæ ablegatæ, ſacrarum rerum nitor, elegantia, mundities exulare juſſa; ſimonia magnum ſui ſpectaculum edere, pecuniæ vi, ac potentium favoribus nixa viam ſibi ad infulas munire, per cuniculos, & pſeudotyros ad ampliſſimas dignitates obrepere, munerum Eccleſiaſticorum nundinationes, fiduciarias beneficiorum mancipationes in lucem educere, eaſque habere ſatellites nequitiæ, atque adminiſtras ſuæ, ſacra denique omnia afflatu ſuo contaminare. Jamque eo ventum erat malorum, ut omnis Chriſtiana Reſpublica in vota, ac preces effuſa veterem diſciplinam, antiquam Eccleſiæ faciem, priſtinam incolumitatem, morum denique Reformationem uno ore repoſceret. Verum (proh dolor!) hæc ipſa tam ardens Reformationis ſitis morbum magis

gis

giſ exaſperavit. Nam ex Inferis emerſa extitit anguium vis, qui non tam reformandarum, quam novandarum, atque adeo evertendarum rerum cupidi teterrimum, quod diu ſibi peſtilentiſſimo, ac maxime putrido in pectore ebullierat, virus effundentes ſacra, & profana omnia ingenti calamitate, & luctu impleverunt. Oh luctuoſam illius temporis memoriam, cum tot gentes multitudine innumerabiles, locis infinitæ fallacibus improborum hominum, nuper delapſæ de Cælo, & ſibi ſolis patefactæ veritatis nomen obtendentium, ſermonibus deceptæ teterrimis illis Euangelii, ut ſe jactabant, præconibus ſuam fidem, pietatem, religionem nefario crimine devoverunt! Oh acerbam illius diei recordationem, cum omnium hominum, quotquot unquam fuerunt, perditiſſimus, ac profligatiſſimus in medium Wittebergæ forum (19) vini, ſomni, ſtupri plenus, horribili rictu furens proceſſit, & Eccleſiaſticarum legum tabularium incendit! Oh facinus deteſtabile, execrandumque! Oh ſcelus nulla umquam hoſtia expiandum!

D Pa-

(19) Arturus Duch t. 1. de auct. Jur. Civ. c. 7. n. 17. 18. *Licet Martinus Lutherus zelo præpropero, & inconſulto ductus Juris Canonici libros, repugnantibus Juris conſultis, Wittebergæ combuſſerat.....*

Parumne erat verum Dei cultum, quo uno æternæ vitæ ſpes continetur, ex tot nobiliſſimis provinciis exterminare, niſi hoc ipſum ſcelus alio novo ſcelere cumulares? Quid enim tam impium, quam in ſcopulos, in brevia homines præcipites non modo rapere, verum etiam gubernaculum, quo evadere e naufragio poſſint, eis eripere? Quid tam ſceleſtum, quam ardentes faces in vicinorum tecta non ſolum immittere, ſed aquam quoque ab eis prohibere, qua incendium poſſit reſtingui? Quid denique tam inhumanum, quam civibus ſuis non tantum graviſſima vulnera inferre, ſed etiam omnem medicamentorum vim e Civitate tollere? Quid enim aliud erat, per Deum immortalem, Eccleſiaſticorum Canonum tabulas ab illorum populorum oculis removere, quam reditum omnem ad ſanam frugem præcidere, quam omnem recuperandæ bonæ valetudinis ſpem perpetuo eis adimere? Oh furiarum omnium, quotquot Inferi evomuerunt, teterrimum! oh buſtum legum omnium, ac Religionum! Tune, cum id nefas adoriebare, illud tuum os crapulam, ebrietatem, fœtorem undique efflans puriſſimis illis Canonibus oſtendere! tune tuos ocu-

oculos tabo, veneno, odio ſuffuſos in tam mitiſſimas, & charitatis pleniſſimas leges defigere! tu ne denique tuis illis illotis manibus, tam fœdis, tam obſcœnis, ac turpitudinem omnem redolentibus in ſacroſanctas illas tabulas irruere auſus es? Nihilne caſtiſſimarum legum ſanctitas, nihilne divinus ille ſpiritus (20), quem in tam æqua jura dicentium ore ſeſſitaſſe ſcimus, nihilne denique omnium bonorum mœror, nihil omnium recte ſentientium querimoniæ moverunt? Non oculi, non vultus, non ora ceciderunt? Non manus obtorpuit, non mens debilitata metu concidit? Potuiſti totius Eccleſiæ auctoritatem, a qua ſacra illa jura manarunt, infra te putare, majorum ſapientiam, qui illas Decretales & ipſi ſanctiſſime coluerunt, & nobis ſuis poſteris colendas tradiderunt, tam ſuperbe deſpicere, totius Chriſtianæ Reipublicæ unanimem in illorum Canonum cultu, & reverentia conſenſionem deridere, atque contemnere? Sed quæ te tenebat tanta ſcelerum vis, quæ te tanta flagitiorum inſana libido vexabat,

(20) Can. Violatores 25. q. 1. *Sacri Canones inſtinctu Spiritus Sancti, & ſpeciali ejus aſſiſtentia editi ſunt.*

ut tam puris, tam caſtis, tam ſanctis legibus diras omnes imprecareris? Viderat vaferrimus homo, & veterator, quamdiu ſuus illis tabulis ſtaret honor, ſua adverſus Deum, adverſus Eccleſiam, adverſus omnes bonos ſcelerata conſilia non poſſe conſiſtere; non poſſe ſe, donec illarum Decretalium valeret auctoritas, ad cædes, ad ſanguinem, ad rapinas, ad prædas, ad templorum direptiones, fanorum expilationes furentem ſuam illam turbam concitare; non poſſe ſe ea, quæ tam ſolemniter nuncupaverat vota, tam ſolemniter violare, non in feminarum religioſa clauſtra, aggeribus omnibus effractis, tam audacter irrumpere, non proſtratæ virginitati victor inſultare, non de profligato cælibatu tam impudenter triumphare, non impiis, non adulteris, non inceſtis, non ſacrilegis, non nefariis nuptiis privatorum domos, Eccleſiaſticorum ædes, religioſorum hominum familias, affinitates, agnationes, propinquitates fœdare, polluere, maculare, contaminare, conſpurcare, non Eccleſiaſtica jejunia cum ganearum nidore, & fumo commutare, non ſacerdotes ab aris ipſis, ſacrificiiſque divellere, non ab Eccleſiaſtico ordine ornamenta dignitatis, & præſidia ſtabili-

bilitatis ſuæ cuncta detrahere, non totam denique religionem ſuſque deque vertere, ac permiſcere, niſi earum conſtitutionum vis omnis ad interitum rueret. Neque enim petulantia cum pudore, neque ſtupra cum pudicitia, neque libidines cum continentia, neque luxuria cum temperantia, neque vinolentia cum ſobrietate, neque fraudes cum fide, nec ſcelus cum pietate, neque turpitudo cum honeſtate, nec iniquitas cum æquitate, nec vitia denique omnia cum virtutibus ſtare poſſunt. At quam diverſam, Bone Deus, quamque proinde utilem, ac ſalutarem exulceratis Eccleſiæ rebus medicinam adhibuere in illo omnium, quæcumque Eccleſia vidit, graviſſimo, auguſtiſſimoque Concilio, qui ad excubias pro Chriſtianæ Reipublicæ incolumitate agendas divinitus erant conſtituti? At undenam tantam morum, diſciplinæque Reformationem, quæ omnium ſtudia, expectationemque commoverat ſapientiſſimi illi Patres auſpicandam duxerunt? Quem hoſtem primum ſuis armis appetiverunt? in quem primitus ſua tela direxerunt? Nonne adverſus ignorantiam malorum omnium originem & fontem? Nonne (21)

(21) Seſſ. 23. c. 18.

Seminaria in primis ad juventutem Eccleſiaſticis diſciplinis erudiendam paſſim inſtitui, & Canonicæ doctrinæ ſtudia magno ubique ardore, & cura excitari voluerunt? Hui ad tam lætum nuncium, quam ſecundæ toto orbe terrarum admurmurationes, quot, quantique plauſus ubique gentium excitati! Jam ſtatim erigi omnium animi in magnam ſpem, nemo amplius dubitare, quin hoc ſigno dato vitia exſcinderentur, diſciplina reſtitueretur, pietas, religio, probitas propagaretur; teſtari unuſquiſque brevi jam reditura, tanto omine, aurea Eccleſiæ ſæcula, reducem ſtatim fore veterem illam juſtitiam, & religionis formam; alii aliis Eccleſiæ incolumitatem, pacem, otium, tranquillitatemque ſibi mutuo gratulari; omnes denique uno ore fateri, Tridentinos Patres hac una providentia exſpectationi, quam in omnium animis excitaverant, ſatis cumulate reſpondiſſe, & ſi nihil aliud tot vigiliis, tot incommodis, tot laboribus in ſanctiſſimis illis Comitiis actum eſſet, tamen hoc uno ſuarum omnium (22) curarum, & laborum ſatis uberem fructum col-

(22) Pallavicinus in Hiſt. Con. Trid. l. 22. c. 8. n. 3. *Adeo ut complures affirmarint, ubi nullus alius fructus*

collegiſſe. Neque vero tantam ſeminis bonitatem diu jacere, neque longa voluit ampliſſimorum fructuum expectatione pendere Tridentinorum Patrum clariſſimum lumen, & ſplendidiſſimum Divus Carolus Borromæus, ſed cum primum licuit, in ſibi concredito fundo tria florentiſſima Seminaria excitavit. At quo ardore animi, quo æſtu, quo ſtudio ea aluit, fovit, ac recreavit! Quam nullis periculis deterritus, nullis laboribus fractus, nullis impenſis retardatus ea ad ubertatem, fertilitatemque redigenda curavit! quam navus, quam ſedulus, quam diligens in eorum gremio arando, molliendo, ſubigendo, repaſtinando! quam ſolers, quam vigilans, quam multus in doctrina Canonum, more majorum, veteri diſciplina ſerenda, occanda, exaggeranda! Jamque copioſiſſimæ meſſes, quas Carolus ex tam præclara ſemente, jactoque grano in dies magis demetebat, alios etiam Eccleſiæ Optimates ad eadem conanda pepulere, qui Divi Caroli veſtigiis proxime inſiſtentes ſacrorum Canonum, Ponti-

ctus ex eo Concilio decerptus fuiſſet, ſolum hunc labores omnes, & incommoda compenſaturum; quippe unicum adjumentum, quod efficax ad reparandam collapſam diſciplinam agnoſcebatur: cum certa ſit regula in omni Republica tales haberi cives, quales educantur.

ficiarum Conſtitutionum, Eccleſiaſticarum diſciplinarum ſtudiis ampliſſima domicilia aperuerunt. Hinc ea lætior virtutum ſeges, quæ in ſolo Rothomagenſi, Rhemenſi, Burdigalenſi, quæ in agro Turonenſi, Aquenſi, Toloſano, quæque longo poſtea intervallo in Beati Gregorii Barbadici prædio tam multiplex, tam generoſa, tam ſplendida ſe ſe effudit, & fructus Eccleſiæ reddidit optatiſſimos. Verum enimvero quid noſtra hæc tandem ætas, Auditores? Quid ſentiendum! quid cenſendum! eloquarne, an ſileam! Video me nunc in lubricum ſane locum eſſe delapſum, ubi aut magna mihi invidiæ moles conflanda, aut quæ ſequiora hujuſce ætatis ſunt, tacite prætereunda. Verum quid ego offenſionis vitandæ cauſa ſinam partes deſiderari meas, officium deſeram, non uni, aliis omnibus remotis arbitris, veritati ſerviam? Dicam igitur, & quod jamdudum parturit animus, & quod tam diu prurit lingua, tandem pariam, ac libere pronunciabo. Non caret profecto literis ævum hoc noſtrum, quinimmo etiam abundat, ſed iis literis abundat, quæ magis oblectant, quam proſunt, non iis, quæ ſana, ſolida, fructuoſa eruditione, & doctrina nos ornant,

ſed

ſed iis, quæ inaniis tantum opplent, quæ extrinſecus inducta facie pellucent, quæ pompæ inſerviunt, quæ moribus ſæculi obſequuntur, quæ liberæ cogitandi licentiæ indulgent, verbo iis literis abundat, a quibus (ne quid amplius dicam) Religio nullum certe ſubſidium expectat; & Seminaria ipſa, ſi pauca excipias, quæ ſuorum Fundatorum legibus adhuc ſtant, & vigent, ſæculi vitio laborare, ac pro temporum converſione, ac rerum humanarum viciſſitudine ſuis fatis agi videntur. Quid mirum igitur, ſi noſtris hiſce temporibus relanguit pietas, ſi refriguit probitas, ſi tepuit juſtitiæ amor, ſi reſtinctus eſt ille ad virtutes animorum impetus, ſi minuitur Religio, ſi contagio ſerpit, ſi ea etiam, quæ conſanuiſſe videbantur, nunc ægrius recrudeſcunt! Verum ut unde profecta eſt, eo demum recurrat oratio, ſatis intelligitis hinc, opinor, Auditores, uti Canonicæ literæ, atque Religio ſimul implicitæ ſint, atque una cohæreant, uti quo tempore illæ interciderunt, hæc quoque defluxerit; cum illæ renovatæ ſunt, iſta quoque convaluerit, uti etiam quibus locis eæ reſedere, hæc itidem extabuerit, & iſta denique vires receperit, ubi illæ revi-

rue-

ruerunt. Neque aliter ſane res eſſe potuit. Nam ſicuti inter notiones, & affectiones, inter intellectum, & voluntatem, ita inter literas, & vitam, inter ſtudia, & facta, inter ſcholas, & diſciplinam tam arcta ſocietas, tam intima familiaritas, tam magna conjunctio, & neceſſitudo invicem eſt, ut ſi illa aberrent a vero, hæc a bono deflectant, ſi ea probent falſum, hæc malum ſequantur, ſi illa opinione, ac oratione decipiantur, hæc re, & vita fallantur; contra ſi judicia ſint vera, & actiones plerumque compoſitæ, ſi mens veritatis luce perfuſa ſit, & cor recte factorum niſu exæſtuet. Ac quemadmodum in corpore vividi cerebri ſpiritus, celeriſque igniculi articulis, membriſque vires miniſtrant, ita in animo intellectus bonarum rerum cognitione illuſtratus ad præclare factorum conſectationem voluntatem impellit. Poſſunt quidem aliquando animi motus intumeſcere, poſſunt etiam cupiditates, revulſis rationis repagulis, detrectatoque imperio longius evagari; verum ubi prudentiæ voce delinitæ reſederint, ſtatim affectionum & notionum, voluntatis & intelligentiæ, mentis & cordis, judiciorum & actionum ſe ſe recipit, & quodammodo

ſe

ſe ſe recolligit concentus, atque conſenſus. Non poteſt igitur omnino, aut certe vix fieri, ut qui more majorum, Eccleſiæ Canonibus, divinis legibus, Religionis præceptis, inſtitutiſque aures, linguam, pectus, animum, mentem, rationem, intelligentiam, notiones, conſilia, cogitationeſque denique omnes referſerunt, compleruat, acuerunt, armarunt, aluerunt, corroborarunt, confirmarunt, non præclariſſimarum etiam virtutum decora redoleant, non eximiam morum ſanctitatem inhalent, non pietatis, non probitatis, non juſtitiæ imbre toti madeant, profluentemque rorem aliis etiam participent, atque communicent, non optimam denique pulcherrimamque Religionis formam omnium inſpectantium oculis exhibeant. Oh igitur morum altrix, diſciplinæ cuſtos, ſanctitatis effectrix ſacra Juriſprudentia! Oh Eccleſiæ decus, Religionis columen, ſacrorum præſidium, Chriſtianæ Reipublicæ vallum, atque propugnaculum Canonica Facultas! Quin igitur, Auditores, continuo in illius ſinum confugimus! quid non in ejus amplexum, in oſculum convolamus! Omnes quidem: ſed nos præcipue, qui ad Eccleſiam arctiſſimo ſanctiſſimi juris vinculo ſu-

mus

mus alligati : Eccleſia, Eccleſia noſtra tribus eſt, noſter ordo, Eccleſia noſter fundus, noſter cenſus, Eccleſia denique noſtra domus, noſtra familia. Quid porro tam abſonum, tam turpe, tam indignum, quam nos noſtri ordinis leges non noſſe, noſtræ tribus inſtituta neſcire, noſtræ familiæ diſciplinam ignorare? Ullumne genus (23) hominum tam rude, tam pingue, tam ſtolidum, tam ſupinum, qui ejus Civitatis, ac loci, in quo alitur, ac ſuſtentatur, in quo in principum numero eſſe vult, non leges, non inſtituta, non mores, non jura cognorit? Tune vero, Eccleſiaſtice homo, nullam tibi earum legum, quæ in Eccleſia ſunt, notitiam tibi peperiſti, atque hæres, titubas, expalleſcis, ſiquis a te alicujus canonis recitationem forte exquirat? Quid mihi aliarum multarum rerum intelligentiam, quid multiplicem doctrinæ vim, quid lautam eruditionis ſupellectilem tibi inſtructam commemoras? Calles Etruſcam, Gallicamque lin-

(23) Diod. Sic. t. 1. ſec. 2. *Apud Ægyptios, quæ gens omnium prima & legum ferendarum, & rerum gerendarum prudentia floruiſſe fertur, lege cautum fuit, ut, cum ſingulis ſingulæ artes exercendæ datæ eſſent, legum ſtudium ab omnibus omnino excoli deberet; & Religionis, Patriarumque legum ignorantia maximæ infamiæ vertebatur.*

linguam (mallem Græcam , & Latinam, quibus noſtrorum officiorum ratio omnis continetur) vales in arte Poetarum, tenes ea, quæ Geometræ de corporum dimenſionibus, quæ Phyſici de cauſis ventorum, imbrium, fulgurum, quæ Aſtronomi de ſiderum converſionibus, quæ Hiſtorici de veterum temporum notatione tam ſubtiliter, tam ingenioſe, tam erudite edifferuerunt? Quid tum poſtea? Quo valet hæc tanta tuæ doctrinæ moles, ſi ea interim neſcis, quæ ad te maxime pertinent, & quorum ignoratio tibi exitio eſt futura? Propone aliquid, inquies, de planetarum natura. Ego vero libentius de Clericorum vita, & honeſtate. Age ſis: De Clericorum vita, quid reſpondes? Euge ad te, inquam: a ſacris Canonibus quid tibi interdictum eſt? quid præceptum ab Eccleſiaſticis decretis? Diſtorquet oculos, ſcalpit caput, muſſitat, nullus eſt. Interroga eum potius de ſyſtemate Newtoniano, de fabellis Poetarum, de Geometricis demonſtrationibus, de calculis Arithmeticis; alacrius, opinor, reſpondebit, quam de Jure Pontificio, de doctrina Sanctorum Patrum, de Conciliorum decretis, de veteri Eccleſiæ diſciplina. Heus quot Decretalium libros col-

legit

legit Gregorius Nonus? quot Bonifacius Octavus? quot Clemens quintus, Joannes vigeſimus ſecundus? Scitare potius quot verſus ad tibiam ſuderit Dantes Aligerius, quot Torquatus, quot Arioſtus. Quid ſancitum fuit ab Eccleſia in Tridentina Synodo de dogmate, & diſciplina? Quære potius quæ cantiunculæ occentatæ ſint in feſtivo illo elegantiſſimarum feminarum Boccacciano conventu. Quot Æcumenica Concilia.......? Noli amplius vexare: neceſſaria neſciunt, quia ſupervacanea didicerunt. Supervacanea; inquam? Quid ſi perniciosa etiam, ſi infecta peſtifero quodam tabo, ſi contraria Fidei, dogmatis inimica! Sed mittamus hunc locum, ne forte nimis ſcrutando plures latentes angues in herba deprehendamus: incedimus enim per ignes ſuppoſitos cineri nimium doloſo. Interea hi ſunt ii homines, Auditores, qui Eccleſiæ miniſtri, ſacrorum Præſides, ceremoniarum Antiſtites, Religionis cuſtodes eſſe, qui munia ſacra obire debent, animarum tutelam gerere, Eccleſiaſticarum legum cultum urgere, ſacrorum Canonum obſervantiam promovere, errores extirpare, Veritatem Euangelicam propugnare, vitia evellere, virtutes ſerere, diſciplinam Eccle-

ſiæ

ſiæ Conciliorum, ac Patrum decretis expreſſam vigentem ſedulo conſervare, collabentem ſuſtinere, collapſam diligenti cura reſtituere. Quomodo, Bone Deus, hæc tam ardua, tam ſalebroſa, tam aleæ plena expediri poterunt abſque magna Canonicarum rerum tractatione, & ſine multa horum librorum evolutione? Ecquid diceres, Cæleſtine, ſi in noſtrorum temporum Clericos incideres? Tu, qui ad Apulos, & Calabros Epiſcopos ſcribens optimum hunc, auro, cedroque dignum Canonem tuliſti: „ Nulli „ Sacerdotum ſuos liceat Canones ignorare, „ nec quidquam patrare, quod Patrum apri„ me non reſonet inſtitutis: *docendus eſt po„ pulus, non ſequendus*. „ Ecquid diceret Alexander Tertius, qui in Concilio Turonenſi, ut Canonicæ facultati locum faceret, Medicas, Phyſicaſque artes, legumque civilium ſcientiam aqua & igni interdixit? Ecquid demum Honorius Tertius, ut tot (24) alios mittamus, qui Deceſſoris ſui veſtigiis inhærens, ut ad Canonum ſtudia Eccleſiaſtici toto animo ferrentur homines, profanas

(24) V. Conc. IV. Aurel. *c.* 6. Concil. Matiſconenſe I. *c.* 9. Concil. Tolet. IV. *c.* 25. Concil. Vaſionenſe II. *c.* 2. Concil. Nannet. *c.* 11.

nas artes viperino cautius ſanguine vitandas edixit? Pareamus igitur tam ſanctis, & ſaluberrimis monitis, atque hiſce ſtudiis animum excolamus, quæ una ex omnibus a ſummis Pontificibus nobis maxime commendantur. Deſinamus in iis artibus conſeneſcere, quæ inanes ſunt, mentiſque noſtræ domicilium non niſi aranearum telis obtendere valent, omnemque operam, atque induſtriam ad hanc ſucci, & frugis pleniſſimam facultatem nobis parandam conferamus. Ita profecto. Juris Eccleſiaſtici ſtudium ſit noſter amor, noſtrum corculum, ſuaviolum, atque deliciæ. Hem quid nares contrahis, frontem corrugas? Aſpera eſt, inquiunt, injucunda, & maxime laborioſa. Terrent illi Codices tot, tamque immanes ad noſtras animulas defatigandas conſcripti, enecant ingentes illæ Gloſſæ, Bullaria illa in dies magis mole excreſcentia plane conficiunt. Hui ſubſternamus pulvinos roſæ, ac violæ farctos huic homini tam molli, ac delicatulo, faſciculum florum ad nares admoveamus, incendamus odores. Vere videre mihi videor meretricem Terentianam in cœna pitiſſantem, & dicentem „ aſperum, Pa-
„ ter, hoc eſt, aliud lenius ſodes vide „. Re-

lina-

linamus illi dolia omnia, omnes ſerias, calicem mulſi impingamus, ferat huc ocyus aliquis cruſtula, & bellaria, ut flere pupulus hic deſinat, & amaritiem ex Decretalium aſperitate contractam mulceat; offeramus ei aliquid Petrarchæ, quo fauces colluat. Oh molles homines, & voluptuarios! Tune igitur in tanta rerum præſtantia, ac dignitate, in tam lauto convivio, quod hæc ſcientia nobis parat, tot, tamque opiparis epulis, atque obſoniis inſtructo etiam placentas quæris, laterculos, ſeſamum, papaveremque, & frictas nuces? Uſque adeone faſtidii delicatiſſimi es, ut quo tibi itinere ad rectam vitam (25), juſtitiæ laudem, æternam felicitatem (hoc enim imbibit juris Canonici ſtudium, hoc ſpectat, hæc mens, hoc conſilium, ac propoſitum eſt) inire illud abnuas, niſi videas viam tum molliſſimam, & planiſſimam, tum floribus conſtratam, quamque viridantes omni ex parte opacent patularum arborum comæ? Quamquam quid ego perinde loquor, ac ſi per dumeta, ac vepres ad juris Pontificii cognitionem gradiendum nobis eſſet, cum tantum abſit, ut aliquid moleſtiæ pariat juris

(25) Gregorius IX. *in Præfat.*

ris Pontificii ſtudium, ut quinimmo in eo jure cognoſcendo mira quædam ſit (quod minime pleriquc arbitrantur) ſuavitas, & delectatio. Si enim Tullius magnam ex cognitione juris Quiritum lætitiam, & voluptatem percipiebat, quod ex eo jure cum Licurgi, Draconis, aliorumque legibus collato intelligeret, quantum Romani præſtiterint prudentia cæteris gentibus; quanto magis noſtri Pontificii juris cognitio noſmet delectare debebit? Incredibile enim eſt (veriſſime ego de noſtris, quod perperam de ſuis Cicero) quam ſit omne jus Pontificium præter hoc noſtrum ineptum, atque ridiculum. Quis enim riſum teneat, cum Romanum Imperatorem totius terrarum orbis principem, Pontificem maximum Cylindri figuram ex ebore (cui Deæ Uraniæ nomen) Cono Lapideo (quem cognomento Deum Eliagabatum dixere) connubio junxiſſe, ingentemque auri, gemmarumque vim ex tota Carthagine collectam illius doti dixiſſe inaudit, cumque Autumni tempore Deum illum ruſticatum ducere ſolitum fuiſſe legit (26). At qua pompa! quamque ſolemniter deſipientem! Inſidebat Conus

(26) Vide Muratorii Ann. ad annum 217. 218.

nus ille lapideus (juvat lepidiſſimos ludos ſpleni veſtro præbere, atque ab una ineptia alias omnes perdiſcere.) inſidebat, inquam, Conus ille curru aurato, quadrigis albis invectus, præibat Imperator Pontifex Maximus equorum habenas manu tenens facie ad Conum-Deum verſa, Senatus, populuſque Romanus pone ſequebantur cum Deorum Quiritium ſtatuis, dextera nuptiales faces præferentes, coronis tempora redimiti. Celebritatem ornabant equeſtres pedeſtreſque Romanorum turmæ, atque cohortes currum ſtipantes. Quid tum animi fuiſſe putamus, Auditores, illis Chriſtianis, qui hæc Romæ fieri videbant? Nonne hinc magno riſu ilia rumpere cogebantur, illinc vero ſuæ felicitati maxime plaudere, ac gratulari, quod in ea Religione ipſi alerentur, in qua omnia non ſolum ad veritatem, ad juſtitiam, ad ſanctitatem, ſed etiam ad modeſtiam, ad decus, ad gravitatem ſunt compoſita, eaque tandem affici voluptate, quam Lucretius multo antea nobis præcinuit:

Suave, mari magno turbantibus æquora ventis,
E terra magnum alterius ſpectare laborem.
Non quia vexari quemquam eſt jucunda voluptas,

Sed quibus ipſe malis careas, quia cerne-
re ſuave eſt.

Suave etiam belli certamina magna tueri
Per campos inſtructa tua ſine parte pericli.
Sed nil dulcius eſt, bene quam munita tenere
Edita doctrina ſapientum templa ſerena,
Deſpicere unde queas alios, paſſimque videre
Errare, atque viam palantis quærere vitæ

Neque vero inficiari auſim Eccleſiaſticorum mores paulatim ita dilapſos jam eſſe, ut recentiores Canones, ſi cum veteribus conferantur diſciplinæ ſeveritate facile vincantur, illudque merito dici poſſe modo videatur, quod olim ait Homerus: Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται οἱ πλέονες κακίυς, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείυς. Verum quemadmodum in rebus aliis humanis, ita & in Eccleſiaſtica diſciplina tum bona, tum mala ex intervallo & recurrerunt uſque adhuc, & recurrent in poſterum (27). Ac ſi He-

(27) Thomaſs. de Nov. & Vet. E. D. in Præfat. n. 14. 15. & ſeq. *Diſciplina mutatur in dies, & labentibus annis ſeneſcit, ac priſtinæ rurſum ſe reſtituit juventuti, alia & alia ſubinde experitur & augmenta, & decrementa. Suus erat ejus juventæ vigor eximius, ſed obrepebant & vitia. Vitia illa ſuſtulit ætas poſterior, verum dum bona accedunt nova, veterum alicubi ſplendor evaneſcit. Senectus languidior eſt, ut teſtatur re-*

Heſiodus eorum felicitati invidebat, qui aureis vixere temporibus : *μηκέτ' ἔπειτ' ὤφελον ἐγὼ πεμπτοῖσι μετεῖναι ἀνδράσιν ἀλλ' ἢ πρόσθε θανεῖν ἢ ἔπειτα γενέσθαι*: nos a Deo Optimo Maximo enixe precemur, ut noſtris temporibus aurea Eccleſiæ ætas renaſcatur. Interim vero nonne maxime jucundum eſt viciſſitudinem illam admirabilem (quod quidem non aliunde lautius ac prolixius, quam ex Canonum ſerie haberi poteſt) commutationemque cognoſcere, quam in Eccleſiaſtica Politia qua temporum injuria, qua hominum cupiditas imperioſa domina, qua bellorum ſibi invicem ſuccedentium motus, qua exterarum gentium e ſuis ſedibus convulſarum, & noſtris inſitarum diverſi mores, aliæ conſuetudines, alii magiſtratus, alia judicia, alia imperiorum, & rerum publicarum facies tam longo ſæculorum decurſu inducere potuerunt. Quæ porro voluptas tanta eſt, ut interim ſileant omnes curæ, omniſque in diſcendo labor, atque moleſtia quaſi aliquo ſoporifero pharmaco

 deli-

remiſſio illa, & indulgentia, quam hiſce temporibus omnino neceſſariam putant. Verum ſi ad trutinam expendas omnia ut juventuti, ita ſenectuti experieris ſua ineſſe vitia, ſuas virtutes. Quod priori diſciplinæ deerat, adjecere Concilia, Pontifices, Patres.

delinita conticeſcat? Ne igitur vos amplius terreat laboris facies, neque ea, quæ falſo ſuſpicabamini, vepreta, dumi, ac ſenticoſæ viæ ab hujuſmodi itineris curſu vos avocent; ſunt enim omnia conferta voluptatibus. Hæc eſt igitur illa ars, atque ſcientia, Adoleſcentes optimi, quam vobis omni ſtudio addiſcendam propono, non ſterilem illam quidem, & infœcundam, ſed Eccleſiæ, Religioni, Chriſtianæ Reipublicæ maxime frugiferam, ac fertam, non inanem, atque inutilem; ſed Eccleſiaſtico viro ſumme dignam, ac neceſſariam, denique non moleſtam, & injucundam, ſed gratam, atque ſuavem. Quid vultis amplius? Quid opus eſt alia commendatione, ut illam toto pectore ampleɛtamini, ac vitæ veſtræ tabernaculum in ea collocandum eſſe putetis? Cogitate qui ſitis, quid agatis. In mentem veniat, vos eam viam ingreſſos jam eſſe, quæ ad Eccleſiaſticarum rerum tractationem ducit. Recurrat animo, in eo vos loco educari, quem Tridentini Patres ad juventutem non profanis artibus, ſed Eccleſiaſticis ſtudiis erudiendam inſtitui voluerunt. Macti igitur, Adoleſcentes, in hoc ſtudium ſerio incumbite. Ad hoc enim præcipue

vos

vos hortantur Præſides, ac Moderatores hujuſce loci, ad hoc vos invitat Ampliſſimus Antiſtes *, qui cum nullam antea hujuſce diſciplinæ ſcholam in hoc Seminario ** eſſe videret, eam maxima cura, & ſtudio erigendam curavit, ad hujuſce denique facultatis cognitionem, ad has pulcherrimas, & ſaluberrimas epulas mea vos vocat oratio. Unum modo reſtat, Adoleſcentes, quod vos monitos volo, ut quoniam in ea arte verſandum vobis eſt, ex qua Eccleſiaſticæ diſciplinæ ratio petitur, ejus præcepta non tantum excipiatis animo, verum etiam moribus & vita exprimatis.

* Concordienſis.
** Portus Romatini.

ORATIO II.

Ecclesiaſtici Juris ſcientia anno præterito in conſpectum veſtrum adducta, & me rogante cunctis ſuffragiis veſtris e ſilentio, e latebris, ex oblivione in clamorem, in lucem, in hominum frequentiam vindicata, prodit rurſum hoc anno in hæc eadem Comitia brevem quamdam aliam, & quemadmodum mihi videtur, æquam, & honeſtam poſtulationem allatura. Nimirum quantopere illa gaudet, & lætatur, quod beneficio veſtro ex umbra, & ſolitudine, in qua miſere delitefcebat, in ſolem, & pulverem educta ſit, tantopere dolet, atque angitur, quod nullo ancillarum, mulierumque comitatu ſepta, nullo munita præſidio, nullis auxiliaribus copiis cincta, ac tecta in mediam aciem compulſa ſit. Sibi cum infenſiſſimis hoſtibus eſſe confligendum, quotidie creſcere adverſariorum numerum, adverſus ſuam dignitatem, præſtantiam, auctoritatemque novos ſemper, eoſdemque acerrimos impetus fieri, ſeque ſolam adverſus tot ingruentium armorum, telorumque vim haud-

qua-

quaquam ſatis eſſe, neque tantam certaminis molem poſſe ſuſtinere. Itaque vos orat, obteſtaturque, ut aliquam adminiſtram, ac comitem ſibi dandam eſſe ſtatuatis, quæ eam adjuvet in laboribus, præſto ſit in periculis, in adverſis tueatur, atque defendat. Hæc vero comes, ac ſocia, quam ſibi dari poſtulat, eſt Philoſophia. Hac ſe indigere ait, hujus ope ſe maxime confidere, hujus auxilio ſe vehementer erigi, hujus voce, conſilio, ac viribus ſummopere excitari. Sine hac ſuas opes, fortunaſque in magno verſari diſcrimine, agi de honore, & fama, vitam denique ipſam periclitari. Sibi jam cum hac facultate veteres eſſe amicitias, antiquas intercedere neceſſitudines, ac familiaritates, multa hoſpitia, ac diverſoriola ſibi jam communia eſſe, ſe ſe demum maxima cognatione, ac ſodalitate devinctas, optimoque fœdere eſſe conſtrictas. Videtis, Auditores, quam juſta, æquitatiſque plena ſit hujuſce nobiliſſimæ facultatis rogatio, cujus quidem hodierna die, ſi per vos licet, hortator, ſuaſor, auctor eſſe, eique me patronum accedere minime dubito. Quod quidem onus eo libentius, atque alacrius ſuſcipio, quod apud eos viros me agere

re ſentiam, qui cum aliis nominibus, tum præcipue harum ſcientiarum complexione præſtantes crebra jam aſſenſione me hortamini, ut pronunciare non dubitem perfectum Canoniſtam effici poſſe neminem absque Philoſophia.

Quod in aureo, ac divino de Legibus libello præfatus eſt Marcus Tullius Cicero, ſe non a Prætoris edicto, non a duodecim tabulis, ſed ex intima penitus Philoſophia hauriendam Juris Civilis diſciplinam putare, id ipſum non magnificentius, quam verius liceat & nobis in re præſenti effari, nimirum Juris Canonici ſcientiam non minus ex Pontificum libris, atque e Conciliorum decretis, quam e penitiſſimis naturæ ſacrariis eſſe petendam. Sunt enim, ſunt Jus civile, & Canonicum germani fratres, ambo radices ſuas in naturæ viſceribus defixas habent, ambo ex naturali honeſtate profluxerunt, ambo naturam ſuam parentem, atque procreatricem eſſe confirmant. Ita ſane, Auditores. Leges omnes (legem porro cum dico (1), illam intelligi volo, quæ imperat honeſta, prohibetque contraria, nam alias, ſiquæ ſunt,

(1) *Lex eſſe non videtur, quæ juſta non fuerit*, ait S. Evodius rel. a S. Auguſt. *l. 1. de lib. arb. c.* 5.

ſunt, ne legum quidem nomine dignas puto) leges, inquam, omnes Canones, Conſtitutioneſque tum ſacræ, tum profanæ, tum Eccleſiaſticæ, tum civiles nihil aliud omnino ſunt quam ſupremi (2) illius juris conſectaria, quod natura in hominum animis inſeruit, ſuiſque veluti digitis in cordibus noſtris (3) inſculpſit. Quid enim? Pietasne in Deum, ſanctitas, atque Religio nobis præcipitur? Num hoc jure aliquo ſcripto, aut lege aliqua lata conſtitutum eſſe exiſtimas? Vide ne potius hoc ipſum (4) in animo

(2) *Si in aliquo a lege naturali diſcordet, jam non erit lex, ſed legis corruptio*. S. Th. 1. 2. q. 96. art. 4.

(3) S. Auguſt. in Pſal. 57. *Ne homines ſibi aliquid defuiſſe quererentur, ſcriptum eſt in tabulis, & quod amiſſum erat, & illud etiam exiguum, quod homines in cordibus ſuis non legebant. Non enim id ſcriptum non habebant, ſed legere nolebant. Oppoſitum eſt oculis eorum, quod in conſcientia videre cogerentur, & quaſi forinſecus admota voce Dei ad interiora ſui pulſus eſt homo, dicente ſcriptura*: in cogitationibus impii interrogatio erit; *ubi interrogatio, ibi lex: ſed quia homines appetentes ea, quæ foris ſunt, etiam a ſe ipſis exules facti ſunt, data eſt etiam conſcripta lex: non quia in cordibus ſcripta non erat, ſed quia tu fugitivus eras cordis tui; ab illo, qui ubique eſt, comprehenderis, & ad te ipſum intro revocaris. Propterea ſcripta lex quid clamat de eis, qui deſeruerunt legem ſcriptam in cordibus?* Redite prævaricatores ad cor.

(4) Contra Puffendorfium de jure naturali, & gent. *l.* 2. *c.* 3. de offic. hom., & civ. *c.* 3. & contra

mo inſcripſerit ipſa natura. Enimvero equis eſt, qui cum ſe nobiliſſimum opus omnia nutu ſuo regentis, ac moderantis Dei miro artificio conditum, innumeris, aptiſimeque diſpoſitis corporis membris coagmentatum, divino munere auctum ſentiat, non eum, a quo hæc omnia acceperit, omni cultu, ac veneratione proſequendum, eique omni ratione parendum eſſe putet? Jubemurne jus ſuum cuique tribuere, nemini injuriam facere? Non hoc a Pontificum decretis, non a Principum juſſis, non a populorum ſcitis, ſed a naturæ vi in humanis mentibus impreſſum eſt, atque inuſtum. Nam cum tot tui ſimiles contempleris eiſdem compactos corporis membris, eiſdem animi dotibus præditos, in queis vivam, ſpirantemque aſpicias effigiem tui, quorum aſpectu, ſermone, conſuetudine recreeris, quorum doloribus, & miſeriis neceſſaria quadam doloris participatione contabeſcas, quomodo non eos omni ratione adjuvandos eſſe intelligas, fateariſque, cum ii eiſdem de cauſis, ac ipſe & lætari, & dolere propter corporum, animo-

tra Chriſtianum Thomaſium, qui *l.* 2. *c.* 1. *n.* 20. 27. propugnant cultum Divinum externum non eſſe a naturali ratione præceptum.

morumque ſimilitudinem debeant, æquum eſſe, ne abs te id patiantur, quod ipſe nolles ab illis pati? Atque hæc quidem, pietas nempe in Deum, & benevolentia in ſimiles, ſunt duo illi veluti ſummi cardines, quibus tota humanarum legum ſeries vertitur, totaque noſtrorum officiorum ratio ſubnititur. Unde enim niſi ex pietate in Deum fluxere eæ leges, quæ ſacroſanctam jurisjurandi vim, caſtam, atque inviolabilem teſtimoniorum fidem, certam ac firmam votorum exolutionem eſſe jubent? Unde niſi ex hac ipſa pietate manarunt ea jura, quæ delubris, atque altaribus ſanctitatem, fanis, & templis honorem, ac reverentiam, iis, qui ſe ſe integros caſtoſque ſervaverunt, quibuſque fuit minima cum corporibus contagio, ſeſeque ab his ſemper ſevocarunt, ſuntque in corporibus humanis vitam imitati Cæleſtium, cultum & venerationem indicunt? Unde denique niſi ex hoc ipſo fonte orti ſunt ii de ritibus, ac ceremoniis Canones, & decreta, eæ de ſacrificiis & Sacramentis conſtitutiones, atque mandata? Ex charitate vero, & benevolentia in homines quotæ, quæque leges in humanam juriſprudentiam derivatæ non ſunt? Ex hac enim

ena-

enatæ ſunt eæ leges, quæ in mutuis fidem, in depoſitis integritatem, in venditionibus, & emptionibus juſtitiam, in omni denique contractuum genere æquitatem ſervandam eſſe clamant. Ex hac eæ ſanctiones profectæ ſunt, quæ a pactis fraudem, a conventis dolum, a ſtipulationibus circumventiones jubent exulare. Ab hac denique eæ pœnæ, quæ iis ſunt conſtitutæ, qui cæcati vitiis, atque flagitiis nefarios dolos, & fraudes conceperunt. Verum quid ego ſingula commemoro, quæ a naturali (5) honeſtate tamquam a principio, a ſtirpe, a capite, a fonte hauſta, expreſſa, avulſa, arreptaque fuerunt? Satis enimvero erit cum Oratorum principe exclamare: „ Legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec ſcitum „ eſſe aliquod populorum, ſed æternum quid„ dam, quod univerſum mundum regit impe„ randi, prohibendique ſapientia; principem „ legem illam, & ultimam mentem eſſe omnia „ ratione aut cogentis, aut vetantis Dei, in„ de illam legem, quæ divinitus humano ge„ neri data eſt, recte eſſe laudatam; eſſe „ enim rationem, mentemque ſapientis ad „ ju-

(5) S. Auguſt. l. 1. de Lib. Arbit. *Nihil eſt in temporali lege juſtum, quod ex lege æterna non derivetur.*

„ jubendum, & ad deterrendum idoneam „. Neque vero minus facete, quam vere ajebat ille, qui naturam inſitarum legum matrem, conditarum vero proaviam eſſe dixit; & qui humanam juriſprudentiam omnem nihil aliud eſſe inquit, quam jus naturæ ad actiones humanas ita advocatum (6), ut hominum religioni, populorum moribus, ingeniorum indoli, Regionum conſuetudinibus, temporum converſionibus (7) apte, præclareque inſideat, ac reſpondeat; næ is recte ſenſiſſe, & rem acu tetigiſſe mihi videtur. Cum igitur omne humanum jus ex natura ipſa erutum, expreſſumque ſit, poterimuſne plenam illius, cumulatamque cognitionem acquirere, niſi prius in naturæ ipſius conſideratione, ac contemplatione verſati fuerimus? Rivuloſne, eorumque flexus, ambitus, anfractuſque conſectabimur, fontes vero, ac capita, unde hi effluxerunt, non perſequemur? Philoſophiæ igitur dan-

(6) D. Th. 1. 2. q. 95. a. 3. & 4. *Jus civile deducitur ex jure naturæ per modum determinationis eorum, quæ generatim præcipiuntur a jure naturali.*

(7) S. Auguſt. de vera Relig. c. 32. *Conditor legum temporalium, ſi vir bonus eſt, & ſapiens, illam ipſam conſulit æternam, ut ſecundum ejus incommutabiles regulas quid ſit pro tempore jubendum, vetandumque, diſcernat.*

danda nobis opera eſt, eaque præeunte, ac duce naturæ receſſus veſtigandi, adyta, ac penetralia introeunda, atque ad omnem juris originem, ac fontem deveniendum. Tune vero, cum Philoſophicas artes aut vix, aut ne vix quidem attigeris, in immenſum juris campum introire, &, omiſſis, ut ita dicam, initiis, in medias res te te proripere auſus es? Quid mihi plurimarum legum notitiam, quid multorum Canonum cognitionem, quid gloſſarum, ſcholiorum, Rubricarum, ſuperſcriptionum, ac Summariorum capitum ſcientiam quaſi in ipſo Juriſprudentiæ faſtigio, ac vertice poſitus jactas? Habes ea, quæ ab Generalibus Conciliis, quæ a Provincialibus Synodis, &, ſi Diis placet, etiam quæ a pluribus Diœceſanis conventibus hactenus ſancita fuerunt. Non ignoras ea, quæ Pontifices Maximi tam longo Sæculorum decurſu conſtituerunt, ſacrarum Congregationum oracula, Romanæ Rotæ conſulta, Civilis, & Canonici juriſprudentum reſponſa penitus tenes. Potes plurimorum interpretum centurias recenſere, integras triariorum turmas in aciem educere, multorum Canonum non intellectorum principia uno ſpiritu citare, multa

capi-

capita, multas paginas, multas columnas, porticus etiam, ut opinor, & periſtyla, & intercolumnia nullo negotio numerare quamlibet multa potes. At quid tum? Quamnam habet admirationem hæc tua tam magna, tam lauta ſupellex, quam tanto labore, ſtudio tanto, conatu tanto inſtruxiſti? Quæ laus eſſe poteſt in ea re, quam omnes ſcire poſſunt, modo otio abundantes, & ingenti Bibliotheca adjuti ea tantum, quæ ſcripta ſunt (ſcripta autem ſunt omnia) diligenter velint inſpicere? Quæ poteſt illius hominis eſſe exiſtimatio, cujus ea princeps, ac pene ſola virtus eſt, ut quam plurimas Decretales, ac Juriſconſultorum teſtimonia rurſum prorſum per omnes codices diſcurrendo perquirat, conſarcinet, iiſque pagellas ſuas referciat. Ego quidem, ſi quid de hoc homine ſentiam, a me quispiam quæritet, operarium quemdam, aut Bajulum eſſe dixero, & ſiquid præterea poſtulat, addam quoque navum, ſtrenuum, laborioſum, χαλκέντερον, & ſi vis etiam memoria valentem, & ſi forte hoc Bajuli nomen diſplicet, Canonum Elenchum, Legum Indicem, Jurium Polyantheam; at Canoniſtam, Legiſperitum, Juriſconſultum num-

F quam

quam te certe appellabo. Meminit Melchior Canus quorumdam in Germania cerdonum, & muliercularum, quæ novum, vetuſque Teſtamentum memoriter poterant recitare. Quid? Num tu hiſce proinde inter Theologos laudem aliquam, locumque concederes? Nihil ſane minus. Neque noſtris igitur Canonum recitatoribus inter Juriſprudentes. Non eſt mihi credite, non eſt ſatis, Auditores, ad ſolidam Juriſprudentiæ laudem ſcire leges, & Canones, eorumque verba poſſe recitare. Ratio (8) ipſa legum, ac Canonum tenenda eſt, iique cortices, putamina, tegumenta, atque involucra, quibus latet incluſa legum anima, effringenda, aperienda, detrahenda, atque ipſius animæ ſuccus omnis, & medulla exſugenda. Singulæ enim leges, & canones corpore, ut ita dicam, conſtant, & anima. Verba legis, idque,

(8) Demoſthenes apud Timocrat. p. 795. ſeq. ἐφ' οἷς κεῖται ὁ νόμος. Cicero pro A. Cæcina: *An non, quum voluntas, & conſilium, & ſententia interdicti intelligatur, imprudentiam ſummam, aut ſtultitiam ſingularem putabimus, in verborum errore verſari.... quæ lex, quod S. C., quod magiſtratus edictum, quod fœdus aut pactio, quod, ut ad privatas res redeam, teſtamentum, quæ judicia, aut ſtipulationes, aut pacti, & conventi formula non infirmari poteſt, ſi ad verba rem deflectere velimus, conſilium autem eorum, qui ſcripſerunt, & rationem, & auctoritatem relinquamus?*

que, quod a lege edicitur, legis corpus eſſe, rationem autem, ob quam ſcripta ea lex eſt, atque adeo ipſam Legislatoris mentem, ac conſilium legis animam eſſe contendo. Hæc porro ratio, hæc mens, hoc conſilium, hic ſpiritus, hæc anima ea eſt, quam a Canonum ſtudioſis penitus ediſci, dignoſci, atque intelligi volo. Hæc enim eſt, quæ nos edocet, quo valeat lex (9), quid poſſit, quando poſſit, ubi poſſit, quouſque poſſit, quid velit, quid expetat, quidque exoptet. Aliquando illa leniter, ac remiſſe, aliquando ſummo jure agere gaudet; nonnumquam extra ſua pomeria egredi, nonnumquam intra ſuos cancellos coerceri, interdum in aliarum meſſes falcem immittere vult, interdum ſuos fines ab aliis ſinit occupari. Atque hæc quidem omnia, licet lex conticeſcat, tamen ex ejus ſpiritu, & anima ſunt cognoſcenda. Verum hanc legum animam, hoc conſilium, hanc voluntatem aſſequine te poſſe confidis, niſi eam ſuſceperis Philoſophiæ partem, in qua docemur, quibus artibus conformandi ſint hominum mores, frangendæ cupiditates, æqui-

 tas,

(9) Vid. Heineccium *Elem. J. N. & G. c.* 4. §. 102. 103.

tas, ac juſtitia tuenda? Satiſne igitur ſani ſunt ii, qui Philoſophiam a Juriſprudentia divellunt, nec vident quam famelica, ac nuda hæc relinquatur, ſi illius opibus ſpolietur? Quid enim agat, per Deos immortales, ſine Philoſophia Juriſperitus? quomodo ad legum explicationem, tractationemque accedet illius ope deſtitutus? Age vero. Proponamus ei experiundi cauſa aliquam juris materiam, rogemuſque, ut illam nobis extricet, enucleet, evolvat. Hem quid ſtas? Primum quidem rem, de qua agitur, definias oportet. *Nam*, ut optime inquit Tullius, *omnis*, *quæ ſuſcipitur de aliqua re diſputatio*, *debet a definitione proficiſci*. Sed quid quæſo nobis definiet, qui, quid ſit definitio, a Dialectico adhuc edocendus eſt? Deinde in partes rem tribuas neceſſe eſt; ſcitumque eſt, quod ait Cicero, *præterire aliquid maximum vitium in dividendo*. Sed qui poterit ille, qui diviſionis leges a nemine umquam didicit? Poſtea ſimilitudines, diſſimilitudineſque inter genus, & ſpeciem notandæ, itemque qua in re differant inter ſe ſpecies ipſæ, videndum, tum effectus, qui inde gignuntur omnes percenſendi. At hæc quidem abſque Philoſophorum diſciplina ne in-

intelligi quidem poſſunt. Poſtea propoſitiones ſtatuendæ tibi ſunt, eæque, etſi canonum, legumque fundamentis firmiſſimis innixæ, naturalis tamen rationis præſidio muniendæ. Sed quomodo hoc præſtabit ille, qui nedum, unde rationes hauriat, habet? Exinde exceptiunculæ eæ omnes, quæ propoſitis latent, in medium proferendæ. At quid nobis excipiet ille, qui quomodo ſeparanda disjuncta ſint, a Logicis nondum intellexit? Tandem ad ſingulas factorum ſpecies eſt deſcendendum, & quid de unaquaque ſentias, libere pronunciandum. Hic vero quanta Philoſophiæ lux oculis tuis affulgeat neceſſe eſt? Nam cum Reſpublica, & Eccleſia iis malis, & incommodis, quæ generatim, & univerſe ſolent evenire, ſuis legibus, & canonibus remedia quærant, neque in ſingulis ſpeciebus, propter infinitum earum numerum poſſint immorari, hinc nobis magna ratiocinationis vi opus eſt, ut de unaquaque re ſingillatim poſſimus judicare. Nam & colligendum eſt unum ex alio, & quid cuique conſentaneum, quid repugnans, videndum, conſequentia cernenda, comparationes inſtituendæ, & ubi major, ubi minor, ubi par, ubi diſpar ratio pu-

gnet, dignoſcendum. Hæc ne vero omnia ab eo expectabimus, qui cum Dialecticis, & Logicis numquam vixit, qui ab eorum congreſſu, & ſocietate religioſiſſime ſemper abſtinuit? Adeat ille quidem, ut ſingulas, quæ incidunt rerum vices enodet, ſuæ artis magiſtros Caſuiſtas, ſe ſe eorum voluminum lectione ingurgitet, hauriat totas illas caſuum *μυριάδας*, quas illi otio defluentes ad fallendum tempus animo ſibi finxerunt, exſorbeat quidquid hinc, & illinc improbo labore collectum in ſuos illi Codices congeſſerunt. Quid tum poſtea? Perinde operam ludet, ac Siſyphus, qui verſat ſaxum ſudans nitendo, neque proficit hilum. Hæc enim tam multiplex, quam ſus deque verſis, introſpectiſque omnibus omnium Caſuiſtarum arculis, in tuam memoriam, cerebrumque, mox pluribus Antyciris purgandum contuliſti factorum, exemplorumque ſartago, quantula tandem pars eſt eorum omnium, quæ quotidie in vita accidunt? Cuinam cachinos non excutiat ille (10) apud

(10) Franciſc. Duar. de rat. doc. diſcendique jura p. 1104. *Admirari ſoleo eorum ſtultitiam, qui in vulgatiſſimis interpretum commentariis omnem ætatem terunt, ut inde ſingulorum negotiorum cognitionem hauriant,*

apud Lucianum, qui in litore maris ſuæ vitæ tabernaculum collocarat, ſuamque ibi ætatem omnem in ſingulis undis enumerandis conterebat, Diis hominibuſque iratus, quod undas trudentibus undis, eas complecti numero non poſſet. Rides? mutato nomine de te fabula narratur, qui in ſingulis hominum factis, atque negotiis, quæ huc uſque vel evenerunt, vel a feriatis hominibus inventa, confictaque ſunt, cognoſcendis omne ſtudium, operamque inſumis, ut de unaquaque impoſterum re valeas reſpondere; cumque ad teli jactum ventum eſt, comperis, te callide, & recte nihil ſcire. Te miſerum! Utilius dormire fuit, quam perdere ſomnum, atque oleum. Non, ſi Caſuiſtarum, quot quot unquam fuerunt, manes omnes evocaris, ex iis, quæ in dies gignuntur, negotiorum ambagibus te te expedies. Valeant enimvero, valeant iſti tui non tam ſapientiæ, quam ſtultitiæ artifices

riant, ei profecto non abſimiles, cujus meminit Lucianus, qui in maris litore ſedens conabatur ſingulas undas pernumerare, donec undas undis trudentibus obrueretur, animoque angeretur, quod eas numero amplecti non poſſet. Nam ut quis memoriæ mandet quæcumque a Bartolo, & ceteris ſcripta ſunt, quod profecto fieri nequit, quota tamen erit portio eorum, quæ quotidie inter mortales contingunt, nec ullis adhuc ſcriptis definita ſunt.

Caſuiſtæ, nolint amplius ſuis illis *Caje*, & *Maviæ* loquacitatibus nobis obſtrepere, atque moleſti eſſe; deſinant *Titii Semproniique* cantilenas auribus noſtris inſuſſurare; deferant ſuas libellorum ciſtas in vicum vendentem thus, & odores, & piper, & quidquid chartis amicitur ineptis; liberent tandem literariam rempublicam æternis quæſtiunculis, graviſſimam ſcientiam tricis, ſcholas clamoribus, Auditores tædio, & ſatietate. Tu vero interim cogita de meliore (11) ſupellectile inſtruenda, tranſi ad ſaniores curas, refer animum ad Legum principia, & cauſas, atque ubi aliqua facti ſpecies tibi oborta fuerit, eam ad Legiſlatorum conſilium, & mentem explora, tum ratiocinandi ſcientiam in operis partem voca. Quid non efficies hac tam fida adjutrice in ſubſidium accita? quam litem non dirimes, quam quæſtionem non ſolves, quam controverſi Juris ſpeciem non definies? Enimvero, qui ratiocinandi artem (12) a ſcien-

(11) Duaren. ib. laudat Juriſconſultum, *qui præceptionum & theorematum univerſalium, quibus ad judicandum ex æquo & bono de ſingulis negotiis præparamur, & informamur, cognitionem ſibi accuratam peperit; nam ſingularia, quæ infinita ſunt, ſub nullam artem, aut præceptionem cadunt.*

(12) Idem ib. ait: *Cum concluſiones omnes ad principia*

a ſcientia aliqua abſtrahunt, omnem ei lucem eripiunt, ſolemque ipſum illi e medio tollere videntur. Nam ut præclare Lucretius ait;,

. . . . Si prava eſt regula prima,
Normaque ſi fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliqua ex parte ſi claudicat hilum,
Omnia mendoſe fieri atque obſtipa neceſſum eſt,
Prava, cubantia, prona, ſupina, atque abſona tecta
Jam ruere ut quædam videantur velle, ruantque,
Prodita judiciis fallacibus omnia primis.

Atque hactenus, Auditores, res ita a nobis acta eſt cum Canoniſta noſtro, perinde ac ſi nullum illi adverſariorum impetum metueremus. Quid vero fiet, ſi adverſus tuam doctrinam adverſarius aliquis inſurgat, ſumptiſque iis armis, quæ ſuppeditat ratio, ingenium procudit, acuit Philoſophia, urgeat, in-

cipia ſua revocandæ ſint, non ſatis îd feliciter aggredi poſſe illum, qui eam præterea non didicerit artem quæ docet rem univerſam diſtribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcurà explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde diſtinguere, poſtremo habere regulam, qua vera, & falſa judicarentur & quæ, quibus poſitis, eſſent, quæque non eſſent conſequentia. Vide Cicer. ad Brutum.

inſtet, inſectetur? quid agas? quo te vertas purus putus Canoniſta? Jam mihi te videre videor percurrere locos omnes juris Eccleſiaſtici, aggredi ad vetera Decreta, a Decretis ad Decretales convolare, a Decretalibus delabi ad Concilia, a Conciliis deſcendere ad Provinciales Synodos, hinc abire ad Interpretes, ab Interpretibus demigrare ad Bullas Pontificias, ab hiſce denique ad Congregationum reſponſa gradum facere. Jamque habes multas Decretales Epiſtolas, quæ te tuentur, præſto ſunt plures Conciliorum Canones, qui tuam adjuvant ſententiam, in promptu tenes plurima Eccleſiæ decreta, quæ cauſæ tuæ mirifice favent. Salva res eſt, ſi cum docili homine in Eccleſiæ obſequium prono res agitur. Sed ſi tibi lis eſt cum aliquo ex multis illis homunculis, queis nihil antiquius, quam Romani Pontificis jugum excutere, qui ſibi gloriæ ducunt Eccleſiaſticarum legum auctoritatem evertere, queis libertas animorum medullis inſidet, quo in loco rem eſſe arbitraris? Illico periiſti. Subruitur ille aheneus murus quo unice confidebas, & in quo tam ſecure deliteſcebas. Non audiuntur Eccleſiæ decreta, excluduntur Pontifices, reſpuuntur Concilia, Interpre-

pretes deridentur. Ad naturalis prudentiæ tribunal provocant, in humanæ rationis judicium ſiſtere te te jubent. Hic tibi qui æſtus, Dii boni, quæ ténebræ, quæ trepidatio? quid hæres triſti obductaque fronte? Murmura quid tecum, & rabioſa ſilentia rodis? quid tandem ad hoc tribunal raptus tibi faciendum cenſes? *Egon quid cenſeam?* (ut lepidiſſime Plautinus ille Tranio: nam quid aliud inquies?) *cape, obſecro, hercle te cum eo una judicem: Sed eum videto, ut capias, qui credat mihi. Tam facile vinces, quam vulpes pirum comeſt.* Adeon' igitur rebus tuis diffidis, ut nonniſi in umbraculo præpilatis enſibus atque cum benevolo homine ultroque jam manus dante pugnas conſerere audeas? Tam parum firmo præſidio arcem tuam ſepſiſti, ut quidquid in hoſtium caſtris increpuerit, ſtatim palleas, ſudes, trepides, ac receptui canas? Quid tam cito concidis animis? quin expergiſceris aliquando! quin quæris hominem, qui te adjuvet! Ad Philoſophum te converte, ab eo quære rationis arma, quæ adverſariorum impetum elidant. Ratione tibi pugnandum eſt, ratione hoſtes ſunt frangendi, ratione fundendi, ratione jugulandi. Naturalis rationis

ar-

armis tectus , quæ tanta in te irruentium mucronum vis eſſe poteſt , quam non rejicias , ac retundas , quæ inimicorum inſidiæ tam vafræ quas non declines, quod denique bellum tam vehemens, quod non propulſes? Ac ſi ullum umquam tempus fuit, quo opus eſſet , ut naturalis rationis arma caperentur , nunc profecto diſtringenda potiſſimum ea ſunt . Ferit enim aures quotidie ſonus armorum , quæ homines quidam libertatis, & licentiæ aculeis acti ad ſauciandam Eccleſiam ex humanæ prudentiæ armamentariis depromunt : quorum ictus qua umquam ratione poterimus effugere, ac retorquere, niſi tractare didicerimus , & ad ſalutem convertere eadem arma, quæ perniciem intentant ? Aut comploranda res eſt , deſperato remedio , aut eodem ſanguine ſananda, qui plagam impoſuit . Quæ quidem non eo dico, Auditores , ut auctoritatis tela abjiciamus, aut in vagina recondita hebeſcere patiamur , ſed quod niſi ea naturalis rationis cote exacuantur , non magno uſui ſint futura . Abierunt rudiora illa ſæcula , quibus Pythagoreorum illud αὐτὸς ἔφα interdicta omni contradicendi facultate, cunctis imperato ſilentio triumphum concinebat . Ceſſit

il-

illa ætas, cum homines ad ἀκύσματα ἀναπόδηκτα, ϗ ἄνευ λογῶν tamquam ſervum pecus, aut iniquæ mentis aſelli auriculas, animumque demittebant parati non a faba tantum, ſed ab hordeo, & cicere, ſi magiſtro ita videretur, abſtinere; excuſſa eſt antiqua illa ſimplicitas digitum exerendi, palmamque dandi ei, qui plures ſententiæ ſuæ patronos nominarat; reſedit jam illud, quod olim omnes tenebat (13) inſanabile *citandi* caco-

(13) *Heineccius in Præfat. ad Pand.* „ Citationum „ tam pleni ſunt JCtorum libri, ut auctores graviſſimos aliquando magno conatu maximas nugas agere „ voluiſſe crederes. Deinde, quod miſerrimum eſt, „ hæc teſtimonia plerumque alterum alteri ſublegiſſe „ deprehendes, idque ſæpe tam incaute, ut pro legum, „ ac doctorum locis monſtra adducant. Notantur duo „ viri doctiſſimi, ſed juris imperitiores, quorum alter, quæ neſcio quis in Pomponio Læto reprehenderat, Sex. Pomponio JCto non ſine ſtomaco exprobavit (Steph. Vin. Pigh. ann. l. 1. c. 12. notatus „ a Perizon). Alter quædam ex Antonii Auguſtini „ Emendationibus deſcribens, ac Ulpiani, & Auguſti „ verba imprudenter confundens, Moſis, Petri, quin „ & Jeſu ſacroſanctum nomen in l. 195. ff. de verb. „ ſignif. reperiri ſcripſit (Onu. Panvinius notatus a „ Perizon) qualia ſi viris illi doctiſſimis exciderunt, „ quid quæſo ſperes de turba illa proletaria, quæ ne „ juriſprudentiæ laudem ammitteret, ab omni literarum cultu quam maxime abhorrebat? Fuit ex eo numero, qui Franciſci Salgado *Samozam*, quaſi is libri titulus ſit, laudavit. Fuit qui cum a Jaſone ci- „ tari

coethes ; antiquata eſt ea animorum mor- bis

„ tari audiret Alexandrum ab Imola, & *ſequaces*, uni „ ex celeberrimis juris interpretibus *ſequaces* fuiſſe no- „ men exiſtimavit. Fuit, qui, cum in publicis Ger- „ manorum legibus ſæpe laudari vidiſſet conſuetudines „ inveteratas, quas ibi vocant *das Herteommen* ex vo- „ cabulo iſto minus intellecto neſcio quem *Hercomma- „ num* Juriſconſultum celeberrimum finxit, ut alia hu- „ jus generis non minus ridicula prætermittam. Acce- „ dit, quod teſtimoniis illis raro quidquam ineſt pon- „ deris, ut recte jam olim conqueſtus ſit vir eximius „ Thomas Reineſius: *Ex Juris ſcientia ad cauſarum ju- „ ſtitias demonſtrandas, & evincendas, leges acervatim ad- „ vocari, quæ ſi penſiculatius examinentur, rem ne tangant „ quidem, interdum etiam, quam firmare putantur, ſoli- „ dum evertant, virorum gravium publicam querelam & „ juſtam indignationem eſſe novimus*. Poſtremo quid cer- „ tum, quid inconvulſum manebit in Juriſprudentia, ſi „ teſtimoniorum numerus vicerit, & ſola triumphave- „ rit auctoritas? Memini, me alio loco referre An- „ dream Tiraquellum ſenioris famæ Juriſconſultum, ubi „ in libris ſuis centum, aut plurium legum, ac do- „ ctorum ſuffragia coacervarit, poſtea totidem, aut plu- „ rium etiam indicem pertexere ſolere eorum, qui in „ alia omnia eant. Quid vero obſecro tam erit abſur- „ dum, quod non defendere poſſit cauſæ Patronus ſo- „ lertior, ſi a gloſſæ ac doctorum auctoritate ſuſpenſa „ eſſet Juſtitia? Grande ejus artis exemplum in lepido „ de privilegiis Univerſitatum libello dedit Petrus Re- „ buffus; quæ enim tanta eſt, non dicam genio in- „ dulgendi, ſed quodvis ferme flagitium admittendi li- „ centia, quam non ſacerrimus iſte juſtitiæ Sacerdos „ ſtudioſis literarum tanquam privilegium vindicet? „ quam turpia, & indigna ſeculo ſunt, quæ ille in in- „ terpretatione *Auth. Habita l. ne Filius pro Patre* de ſtu- „ dioſorum cum mulieribus conſuetudine diſputat? &

„ nihil

Digitized by Google

bis (14) medicinas, non explicata latente earum vi, veluti in curandis corporibus, præſcribendi ratio; abrogata eſt trita illa Juriſconſultorum regula; „ erubeſcendum ſine lege loqui; „ illaque ſuffecta eſt; „ erubeſcendum ſine ratione loqui; „ deſertæ jam ſunt eorum doctorum ſcholæ, qui nihil aliud norant, quam ſcripta (15) exſcribere, nihilque

„ nihil tamen ſcribit (proh pudor), quod non eductis „ in aciem integris triariorum turmis confirmet. „

(14) *Heineccius ibidem*; „ Pythagoras perſuaſus „ erat, ſi Jamblico credimus, *Auditores ſuos ſine rationibus fructum percepturos eſſe, ſi ſcirent, quid agendum ſit, perinde ac ii, qui in medentium cura ſunt, licet non edoceantur, ob quam cauſam quidque agendum ſit, valetudinem tamen recuperent*. Quamvis hæc „ ſpecioſe dicantur, aliam tamen ægrotantium, aliam „ diſcentium rationem nemo ignorat. Illis de vita „ periclitantibus non vacat in hoc rerum articulo, „ de medicamentorum viribus ſubtiliter diſputare, „ neque ideo, quod Medicinæ virtutem intelligunt, „ cum valetudine redeunt in gratiam, ſed quod potiones ex arte mixtas in corpus recipiunt, eaſque „ venas ſubire patiuntur. His contra, ſive ad virtutem, ſive ad accuratiorem ſcientiam adſpirent, „ male res cedet, niſi veras animo notiones rerum „ conceperint; neque has animo umquam concipient, „ niſi facultas illa, qua intelligimus, & quæ omne „ humanæ auctoritatis imperium detrectat, rationibus idoneis convicta illas ſua ſponte admittat. „

(15) Irridentur ii doctores, qui cum maxima jactura, & cum minimo fructu, quæ ipſi ab aliis auctoribus exſcripſerunt, dictando docent: qui mos in non-

que aliud modo, niſi pſittacos, picaſque docent aliorum verba conari; appetiit tandem illud tempus, quo leges niſi cum ſuis conſiliis, interpretes niſi cum ſuis probationibus, ſcriptores niſi cum ſuis rationum momentis non excipiuntur. Si igitur perfectus, ſi omni laude cumulatus Canoniſta eſſe vis, tuam artem, atque doctrinam Philoſophiæ ſcientia quaſi ſepimento aliquo valles, ejuſque opibus locupletes neceſſe eſt, quæ tuæ diſciplinæ dignitatem tueantur, atque ſuſtentent. Expoſui vobis breviter de tota re mihi ad dicendum propoſita plane quid ſentiam. Velitis igitur, jubeatis, Auditores, uti ſuadere conatus ſum, Philoſophiam in Canoniſtarum lares admitti, atque in ſtudiorum, laborumque noſtrorum ſocietatem accipi. Velitis nemini ad graviſſimam Juris ſcientiam patere aditum, niſi prius in Philoſophorum caſtris meruerit, & ſpectatus

ſa-

nonnullis ſcholis etiam nunc viget. Hinc ſcite atque eleganter more ſuo Facciolatus Synt. 8. ait: *Valde miror, ne nunc quidem deeſſe homines antiqua bonitate, qui diſciplinarum profeſſores docere dictando cupiant, quaſi vero in tanta librorum copia, qui communi judicio probati ſunt, & exigua parari pecunia poſſunt, dictata hominis neſcio cujus excipere præſtet, tempuſque auditioni deſtinatum ſcribendo fallere. Omnis jam, reperta typographia, docendi, diſcendique ratio commutata eſt, non ſecus ac belligerandi, reperto pulvere igneo.*

ſatis, donatuſque jam rude dimiſſus fuerit. Ego certe noſtris Adoleſcentibus ad Eccleſiaſtici Juris ſtudia progredientibus Philoſophiam veluti comitem, fidiſſimamque adjutricem dari contendam. Nam hac duce Juris naturam & fontes adire poterunt, ad eoſque digitum intendere, hac adminiſtra legum ſpiritum, animamque videre, earumque mentem & conſilia dignoſcere, hac ſocia difficiles Juris nodos expedire, ambages evolvere, laqueos extricare, hac demum auxiliaria omnem adverſariorum vim comprimere, impetus frangere, audaciam coercere. valebunt: contra vero, ſi hac careant, titubare cogentur in legum origine, hærere in canonum rationibus perſpiciendis, in Juris interpretatione oſcitari, in contrariis diluendis frigere, ſtertere, dormitare. Vidit hoc (quid autem pro ſua ſapientia non videt?) Præſul Ampliſſimus, qui etſi optime ſciat, Seminaria ad juventutem non profanis artibus, atque ſcientiis, ſed Eccleſiaſticis ſtudiis erudiendam eſſe inſtituta, tamen, cum videret, Eccleſiaſticas diſciplinas abſque Philoſophiæ ſtudio (16) mancas & mu-

G tilas

(16) P. Joannes Mabillonius in opere de ſtudiis Monaſticis p. 2. c. 9. ait: *Philoſophia, inſpecta rei ve-*

tilas fore, etiam huic facultati in Seminario ſuo locum eſſe paſſus eſt. Quamobrem liceat mihi, Auditores, in omnium Juriſprudentiæ ſcholarum foribus ad publicum Juventutis documentum vocem hanc inſcribere: Philoſophi huc ingrediminor; qui autem Philoſophiæ præceptis ſatis inſtituti non eſtis, *procul hinc, procul eſte profani*.

veritate, plurimum juvat nedum ad ratiocinandum, ac judicandum, verum & ad rerum univerſarum ideas habendas, moralem facultatem addiſcendam, & ad fidem orthodoxam propugnandam adverſus paralogiſmos, & captioſas Sophiſtarum argumentationes. Et paulo poſt: *Eo igitur Dialectica collimat, ut veri, falſi, affirmationis, negationis, erroris, ac dubii ideas intra nos gignat; in primis autem ideam illationis, & conſequentiæ, unde ſcilicet percipimus, determinatam aliquam enunciationem ex alia ſequi, item ſyllogiſmum aliquem apte concludere, ſecus vero alium. Logica igitur utendum eſt, ut ad recte concipiendum, ac ratiocinandum exerceamur, & ut inde dirigatur noſter intellectus.*

D. Auguſtinus l. 2. de Doctrin. Chriſtiana c. 3.: *Diſputationis diſciplina ad omnia genera quæſtionum, quæ in litteris ſanctis ſunt diſſolvenda, & penetranda, plurimum valet: tantum ibi cavenda eſt libido rixandi, & puerilis quædam oſtentatio decipiendi adverſarios.*

ORA-

ORATIO III.

CUm altero abhinc anno in hanc dignitatis pleniſſimam lucem deſcenderet Sacrorum Canonum prudentia, a vobiſque ſibi comitem, ac ſociam dari peteret Philoſophiam, ſperabat fore, ut maximo ſibi præſidio eſſet, ſeque tamquam ancilla diligens, ac fidelis, ubi opus eſſet, pro modulo ſuo, ac facultate adjuvaret. Verum res longe aliter cecidit, ac putaverat, & unde multa officia, & auxilia promittebantur, inde magna incommoda, ac detrimenta emanarunt. In Eccleſiaſticam enim provinciam ingreſſa Philoſophia ſtatim inſolenter ſe ſe efferre cœpit, viribus ſuis majora conari, altiora ſe quærere, vocare ad examen Sacerdotii jura, in firmiſſimos illos aggeres, quibus Eccleſiæ doctrina vallata eſt, ac circumſcripta, impudenter irrumpere, auctoritatem veterem dominam de ſua poſſeſſione depellere, ac tandem, ubi tamquam adjutrix, atque adminiſtra in partem operis vocata fuit, ibi ſe principem atque arbitram jactitare. Hanc tam ſuperbam, atque intolerabilem arrogan-

tiam pati cum nullo modo poſſit Juris Canonici ſcientia, rurſus in ſplendidiſſima hæc Comitia prodit, Auditores, ad vos confugit, veſtram opem, auctoritatemque implorat, ut huic malo remedium aliquod afferri velitis, obteſtatur. Neque vero e ſuo regno expelli, eamque tamquam hoſtem ſua ſocietate, tecto, atque colloquio prohiberi vult, ſed ſolum ut mores ſuos corrigat, vitam ſuam in melius componat, faſtum exuat, omnem dominandi expuat cupiditatem. Vult Philoſophiam (neque pœnitet, quod anno præterito vos rogaverat) ſed modeſtam, ſinceram, candidam, & religioſam, quæ prona ſit in obſequium Eccleſiæ, quæ nefas putet in ſecretiora Sacerdotum adyta pedem inferre, quæ Pontificum Conciliorumque decreta ea, qua par eſt, veneratione excipiat, quæ denique ſentiat ſe in Canonico regno non dominam eſſe atque Reginam, ſed tantum ancillulam, atque pediſſequam. Itaque opus eſſe, ait, aliqua cuſtode, atque Magiſtra, quæ eam in officio contineat, errantem corrigat, longius evagantem coerceat, nimium ſe ſe attollenti frænos injiciat. Ad hoc autem munus ſuſcipiendum, obeundumque nullam aptiorem eſſe exiſtimat, quam

Theo-

Theologiam. Hanc nimirum omnium magnarum artium, atque ſcientiarum facile principem gravitate, prudentia, conſilio, auctoritate maxime valere; hujus curæ, ac fidei commiſſa Philoſophia non dubitat, quin omnes tumidos animi motus reſecet, vagandi licentiam ponat, intra crepidam ſe ſe contineat, atque Eccleſiaſticarum legum utilitati maxima cum laude inſerviat. Intelligitis optime, Auditores, quid a vobis hodierna die ſacra expoſtulet Juriſprudentia, nimirum ut, quoniam anno ſuperiori Philoſophiam ſibi comitem, atque adminiſtram dari ſtatuiſtis, hoc anno etiam Theologiam ſibi ſociam, atque adjutricem adjungi decernatis. Quod quidem quam æquum ſit, & honeſtum, ex me nunc cognoſcite, dum oſtendere aggredior perfectum Juris Canonici peritum eſſe poſſe neminem abſque Theologia.

Atque ut rem omnem tanquam tabulam bene pictam bono in lumine collocemus, liceat mihi, Auditores, hujus Orationis initia altius repetere, atque ab ipſa Juris Canonici & Theologiæ origine, ac incunabulis exordia ſumere. Harum diſciplinarum ſtudia in Eccleſia ſemper viguerunt, una-

que cum illa ortum ſuum habuere, una ſuos vagitus edidere, una ſuas voces elicere, ac verba fundere didicerunt. Nam quamdiu fuit Eccleſia, tamdiu & res Eccleſiaſticæ, & fidei regula, ac diſciplinæ canones extitere. Verum primis Eccleſiæ temporibus harum doctrinarum nulla erat diſtinctio, ſed ambæ uno editæ partu, geminæ uno vinculo conſtrictæ, utraque ſororio amore colligata una eſſe, una vivere, una mente cogitare, uno ore eloqui exaudiebantur. Neque quiſquam longo ſæculorum ſpatio extitit, qui tantam animorum conjunctionem diſſociare, tantam ſtudiorum ſocietatem dirimere, tantam vitæ conſuetudinem abrumpere auderet; nemo qui inter eas diſſidium poneret, nemo, qui lites fereret, nemo, qui diſcordias excitaret, inventus eſt, ſed qui Eccleſiaſticarum rerum ſtudia recolebant, ii & credendi, & agendi decreta, & fidei, ac diſciplinæ canones una compotatione ebibebant ipſi, unoque poculo aliis propinabant. Equem enim Sanctorum Patrum, qui prioribus ſæculis floruerunt, mihi dederis, qui vel in unis Fidei dogmatis ſubſtiterit, vel in una vivendi diſciplina deſederit? Equa illorum ſcripta in

me-

medium attuleris, in quibus alterutrius, non vero utriuſque ſcientiæ argumenta pro re nata tractentur? Quid illi, qui Eccleſiaſticarum ſanctionum Codices iiſdem temporibus collegerunt? Nonne & ii omnes, ne Gratiano quidem excepto, licet medio undecimo ſæculo vixerit, in ſuis collectionibus & Fidei canones, & morum decreta conjunxerunt? Quid plura? Prodeat enimvero in medium Pariſienſis Academiæ lumen Joannes Gerſo, atque antiquorum temporum, quibus tam præclare ſtabat Chriſtiana res, memoriam repetens, id temporis Eccleſiaſticas haſce facultates non divulſas, non diſcerptas, non in rivulos diſpertitas extitiſſe, ſed conjunctis viribus, communibus opibus, collatis ſtudiis, uno alveo, eoque capaciſſimo immenſam omnium aquarum ſuarum vim devolvere, atque in cultorum ſuorum ſinum effundere ſolitas fuiſſe (1) teſtetur. Verum hæ ſcientiæ, quæ prius tam arcto fœdere, & nexu conti-

(1) Joannes Gerſonius tom. 2. p. 833. & tom. 4. p. 17. 65. 79. 375. *Sic inſtituta videtur, & gubernata fuiſſe ſufficienter Eccleſia primitiva ſub Apoſtolis, & deinde per ſucceſſiones varias uſque ad Doctores ſanctos incluſive per quadringentos annos, & amplius, quibus non erat diſtinctio Theologorum, & Canoniſtarum.*

tinebantur, diſſui poſtea ſenſim cœperunt, illoque amore, quo ſe ſe invicem complexæ erant, paulatim deferveſcente, ſingulæ res ſuas ſibi habere, & procurare, ſua bona, & opes utraque agnoſcere, ſuis poſſeſſionibus, atque provinciis unaquæque terminos, ac fines pangere, divortia tandem facere, atque in duas familias ſe ſe ſcindere voluerunt. Quod quidem quamobrem contigerit, paucis habete. Nonum Eccleſiæ ſæculum vertebatur, & magna jam Hiſpaniarum pars barbarorum armis devicta, & ſubacta in Saracenorum, Arabumque poteſtatem conceſſerat, eorumque imperio miſerrime premebatur; cum iidem Arabes, Almanone Rege litterarum duce, & auſpice, ſtudia naviter urgere cœperunt, Philoſophicas artes impenſe colere, publicaſque in Hiſpaniis ſcholas inſtituere. Magno in honore illis erat Peripatetica Philoſophia, atque Ariſtoteles in eorum exhedris collocatus contortis quæſtiunculis, aculeatis ſophiſmatis, ingentibus commentariis onerabatur. Chriſtiani vero, qui eas terrarum oras incolebant, perpetuo bellorum curſu diſtracti in magnis ignorantiæ tenebris volutabantur, & licet Carolus Magnus iiſdem ferme tempo-

ribus

ribus Latinam linguam, Canonum ſtudia, nonnullaſque alias artes non parum antea collapſas reſtituere conatus eſſet, Philoſophiæ tamen ſtudia ab iis penitus exulabant. Puduit enimvero Chriſtianos Saracenis & barbaris ingenio cedere, itaque eidem Philoſophiæ, quæ tunc ab Arabis tradebatur, addiſcendæ totos ſe dediderunt, ſeque iis argutiis, tricis, ambagibus ingurgitarunt. Hæc Philoſophia ex Hiſpaniis in finitimas Gallias facile gradum fecit, ſuiſque cavillationibus, captiunculis, minutuliſque concluſiunculis omnes Gallorum ſcholas opplevit. Accidit autem, ut undecimo exeunte, duodecimo ineunte ſæculo Roſcellinus Compedienſis Eccleſiæ Canonicus, illiuſque Auditor Petrus Abellardus, aliique præſtantes cæteroquin viri illius Philoſophiæ ſubtilitatibus nimium plus æquo indulgentes in graviſſimos Fidei errores, & teterrimas hæreſes per ſummam inciderint calamitatem. Ut hiſce malis obvium ſe ſe ferret Petrus Lombardus vir ſapientiſſimus illius ætatis, quatuor libros de rebus Fidei exaravit, eoſque, tortuoſis Peripateticorum anfractibus penitus ablegatis, ſacrarum Literarum traditionibus, Sanctorum Patrum dictis, atque Sententiis

refer-

referſit. Hi libri tanto ubique plauſu excepti fuere, tantamque ſibi apud omnes exiſtimationem pepererunt, ut hi Sententiarum libri, ille Sententiarum magiſter audiret. Jamque ad hoſce libros tamquam apes ad thyma cuncti advolare, eos magno ſtudiorum æſtu ediſcere, eos in ſcholis explicare, interpretari, ab iis petere divina arcana, quique eorum profitebantur doctrinam, Theologi jam tum primum renunciari cœperunt. Pauci inde anni interceſſere, cum Gullielmus Pariſienſis exortus eſt, qui, cum videret, Fidei duntaxat materias ab iis, qui Theologi vocabantur, ſumi, morum vero tractationem relinqui, is hanc Spartam adornandam ſuſcepit, ita tamen, ut iis, quæ ad exteriorem diſciplinam pertinent, prætermiſſis, ea tantum obiret ipſe, quæ ad interiorem Chriſtiani hominis inſtitutionem ſpectant, libelloſque nonnullos de virtutibus, legibus, moribus, vitiis, & peccatis in lucem emiſit. Gullielmum ducem plurimi poſtea inſequuti ſunt, eamdemque viam inſtiterunt fortaſſe tunc non ſine aliqua laude, certe commeruerunt, ut Moraliſtæ communi omnium voce ſalutarentur. Jam iis omnibus, quæ tum ad Fidem, tum ad interiorem

rem

rem hominum vitam ſpectant, occupatis, ea tantum ſupererant, quæ ad exteriorem vitæ cultum pertinent, quorum quidem pertractandorum provinciam qui ſibi depopoſcerant, Canoniſtarum nomen retinuerunt. Jam vero cum hæ ſcientiæ ex eodem fonte, ac ſtipite, iiſdemque initiis ortæ ſint, atque profectæ; cum tam longo ſæculorum decurſu idem tectum, idem hoſpitium, idem conclave, eundem habitum, idem nomen, eadem ſtudia, eadem conſilia, omnia denique prope eadem habuerint, cum nonniſi caſu aliquo divulſæ fuerint, quaſique per vim diſtractæ, quis non intelligit permagnam adhuc horum ſtudiorum ſimilitudinem eſſe debere, maximamque earum rerum, quæ iiſdem continentur, affinitatem, difficillimumque fore in harum diſciplinarum altera ita verſari, ut non in alterius etiam fines aliquando expatiari (2) contingat?

Neque

(2) Cardin. Dominicus Pinellius *l.* 7. Decret. ita ait: *Profeſſoribus igitur Pontificii Juris non proponuntur iſta dogmata, ut ea ſpeculative, vel ex profeſſo in Scholis legant, aut de illis, tamquam de ſuis axiomatibus diſputent; quia cum ex articulis Fidei deducantur, ut talia ad Theologum pertinent. Juris vero peritus debet ea ſcire, tamquam certa, & accepta ex prioribus Theologiæ principiis; cum Sacrorum Canonum diſciplina ſit Theologiæ ſubalterata, & illam præſupponere debet,*

Neque vero, Auditores, hæ frcultates ſua ſibi bona ita partitæ fuerunt, ut non multa etiam poſt divortium ſuperſint, quæ utrique communia ſunt. Habent adhuc permultos fundos, plures habent poſſeſſiones, queis promiſcue utuntur, atque fruuntur, & ad quas unaquæque artis ſuæ neceſſitate ducta debet excurrere. Cujus enim ſunt illi (3) loci de Summa Trinitate, & Fide Catholica? Cujus illi de Pœnitentiis, Indulgentiis, & Remiſſionibus? Cujus illi de Sacrificio Miſſæ, de Sacramentis? Cujus tandem illi, ut tot alios miſſos faciam, de Reliquiis, de Sanctorum cultu, & veneratione? Numne ad ſolos Theologos ii pertinent? Nonne & Canoniſtæ in iis ſæpiſſime verſari non jam tamquam advenæ, & peregrini, ſed tamquam incolæ, ac cives, & diutiſſime etiam immorari coguntur? Anne vero poterunt hoſce locos quaquaverſus inoffenſo pede percurrere, niſi omnes eorum rimulas, receſſus, latebras (4) probe callue-rint,

debet, ut Medicina præſupponit Arithmeticam, & pro ut omnes aliæ diſciplinæ ſibi invicem reſpondent, & altera ab altera quoad notitiam derivatur.

(3) Decretalium *L. 1. t. 1. L. 5. t. 38. tit. 16. Lib. 1. L. 3. tit. 45. L. 4.*

(4) Melchior Canus *l. 8. c. 7.* ait: *Eorum titulorum,*

rint. Solent equidem nonnulli Canoniſtæ hæc omnia loca tamquam ſyrtes, & ſcopulos prætergredi, ac prætervolare, eaque ſola contingere audent, quæ ad judicia, cauſaſque ſpectare videntur. Ita fit, Auditores, ut ea facultas, cujus imperii fines tam amplis Regionibus circumſcribuntur in arctiſſimos fori, curiæque cancellos tamquam in aliquod piſtrinum compingatur. Itane igitur? Illane ſcientia, quæ ad Chriſtianam rem gubernandam inſtituta fuit, ad Conventiones, & Reconventiones, ad Poſitiones, Articulos, Interrogatoria, tamquam ad ſaxum quaſi aliqua tempeſtate delata adhæreſcet? Illane, quæ ad Eccleſiaſticorum vitam inſtituen-

lorum, qui de fide decernunt Legiſperitus a Theologo mutuari debet. Sive enim Pontifices, ſive Concilia, quæ in volumina Juris coguntur, quidquam definiant, quod ad fidem ſpectare videatur, id certe non ex ſenſu ſuo, ſed ex ſacris Literis, atque Chriſti, & Apoſtolorum traditionibus colligant neceſſe eſt. Cum ergo principia, unde Pontifices, & Concilia ad quæſtionem fidei decernendam proficiſcuntur, propria ſint Theologicæ facultatis, cujus eſt cognoſcere, quæ a Deo ſunt revelata, quæque his ſunt vel conſequentia, vel repugnantia, plane conficitur, in ejuſmodi rebus Canonum Sacrorum intelligentiam a Theologis eſſe petendam. Id, quod Patres, quibus eſt fidei cognitio mandata, libenter agnoſcunt. Non enim prius quemquam hæreſeos crimine damnavit, quam Theologi definierint, quod in judicium venit, id hæreſim eſſe.

tuendam nata eſt, & alta, litigioſorum dumtaxat hominum jurgiis, diſſidiis, contentionibus inſerviet? Illane denique, quæ Eccleſiarum cultui potiſſimum conſecrata eſt intra Judiciorum parietes perpetuo verſari, in Foro volitare, cum Cauſidicis, proclamatoribus, rabulis declamitare cogetur? Vivet profecto omnium ſæculorum memoria immortalis, Mediolanenſis Eccleſiæ decus, & columen Divus Carolus Borromæus, qui ægre ferens, nobiliſſimam ſcientiam in Forenſium cauſarum ergaſtula detrudi, ea vincula diſſolvit, quibus adſtricta tenebatur, revulſit (5) ea clauſtra, queis continebatur, juſſitque eam Cœlo liberiore frui, omnem peragrare antiquitatem, Eccleſiæ traditiones perluſtrare, ritus, ceremonias, inſtituta inviſere, moribus majorum ſe ſe oblinere, obire cœtus Sanctorum Patrum, verſari cum interpretibus Scripturarum, immorari cum Divinarum rerum Scriptoribus, veteris denique diſciplinæ ſalubritatem obbibere. Revixe-

(5) Carolus Beſcapeſius ſcriptor vitæ D. Caroli Borromæi ait: *Canonum ea ſcientia perjucunda erat, quæ Patrum mores, & acta repræſentans Eccleſiæ componendæ, atque ordinandæ rationem continet, dolens, eos communi conſuetudine tantum canones ad interpretandum ſeligi, qui ad lites, judiciaque valent*. Vide etiam Petrum a Baſilica in ejus vita, *l.* 7. *c.* 11.

vixeras Juris Canonici prudentia (6), & per Carolum Borromæum in priſtinam dignitatem reſtituta laboranti Chriſtianorum diſciplinæ opem ferebas, Sacerdotum mores componebas, Divinum cultum urgebas, Eccleſiaſticæ diſciplinæ graviorem formam, & ſeveriorem omnium inſpectantium oculis exhibebas. Tunc enimvero viſa fuiſti, ſicuti es, laudandarum artium princeps, atque Regina, tunc ea regni parte, quam per homines Theologicarum rerum ignaros amiſeras, recuperata, maximos, uberrimoſque fructus edebas, tunc integris tuis viribus receptis, copioſiſſimas ſegetes, optimaſque meſſes in Eccleſiæ horreum comportabas. Verum, quemadmodum in familiis herciſcundis contingere plerumque ſolet, ut rerum quidem, & bonorum diviſio fiat, eorum vero tituli (7), & jura penes earum alte-

ram

(6) Thomaſs. P. 2. c. 91. n. 12.: *Hac ratione S. Carolus, aliique horum temporum Epiſcopi in Ambroſii, Auguſtini, cæterorumque Patrum veſtigia inſiſtentes uno, eodemque tempore & Eccleſiæ Theologi, & Scripturarum, Canonumque interpretes. Eo prorſus conſilio Eccleſia Chriſti poſtrema hac ætate in Univerſitatibus thronum veluti quemdam ſublimem excitavit Scripturæ, Theologiæ, & Juri canonico, ex quibus una ſacra conflatur diſciplina.*

(7) Vid. Card. de Luca *Theat.* V. & J. de *Feud.*

diſt.

ram retineantur, cuſtodianturque, inde tamen depromenda, ſiqua alterutri ab extraneis lis intendatur, ita jus canonicum apud Theologiam, quicum herctum civerat, ſuarum poſſeſſionum titulos, & jura aſſervat. Quid enim? Eſtne, qui Canonum vim, legumque Eccleſiaſticarum auctoritatem in dubium vocet? Actum de te eſt, niſi aliquem adjutorem habeas, qui tibi ſuppetias ferat, qui pro te certamen ſubeat, aut ſaltem tibi certare volenti ſua arma miniſtret. Quid enim, quod tuum modo ſit, opponas huic homini tam infeſta ſigna tibi inferenti? Num alios canones in aciem educes, & Canones Canonibus tueri curabis. Sed pace tua hoc eſt ignem igne velle reſtinguere. Num aliquem Romanum Pontificem in arenam deſcendere coges? At ille Pontificum auctoritati nihil defert. Num Concilium aliquod in medium afferes? At ille in Conciliorum verba jurare nondum didicit. Quid igitur aliud reſtat, niſi ut ad Theologiam confugias, ab ea præſidium petas, & in tua poſſeſſione manutenere pro jure tuo poſtules? Illa enim e ſuis arculis ea ſacra-

diſt. 8. *in ann. ſub n.* 4. *de præem. diſt.* 42. *n.* 3. *diſt.* 47. *De Fidecom. diſt.* 3. *n.* 4.

crarum literarum teſtimonia proferet, quæ tuos Canones ſalvos eſſe jubebunt. Apud illam ſcilicet Eccleſiaſticæ poteſtatis divinitus inſtitutæ monimenta exiſtunt, apud illam ea jura depoſita ſunt, quibus ferendorum Canonum auctoritatem penes Eccleſiam reſidere oſtendas, apud illam denique ea arma ſervantur, quæ Eccleſiaſticæ Reipublicæ fines ab hoſtium incurſionibus tueri valent. Ita ſane, Auditores. Omnia fundamenta, & ſedes, quibus hæc noſtra ars, atque ſcientia innititur, ex Theologorum fontibus ſunt repetendæ. Sedes, inquam? Ipſi mehercle Canones, eæque ipſæ leges, quarum vim nos tenere, perſpectamque habere gloriamur, ex Theologiæ penu arreptæ, hauſtæ, avulſæque fuerunt. Neque vero Eccleſia in legibus ſuis condendis ſolum humanam rationem, hominumque prudentiam ad ſua conſilia voluit arceſſere, ſed Divinarum Scripturarum oracula, ſanctorum Prophetarum voces, Euangeliſtarum, & Apoſtolorum libros in primis conſuluit ac percontata eſt. Sacræ Literæ fuerunt illę Lydius lapis, ad quem ſummi Pontifices conſtitutiones ſuas explorarunt; Sacræ Literæ fuerunt illa incus, ad quam Conciliorum

H Pa-

Patres ſuas ſanctiones, leges, edicta elaborarunt; Sacræ Literæ denique fuere ea perpendicula, normæ, ac libellæ, ad quas Epiſcopi, Archiepiſcopi ſuarum Eccleſiarum ſcita, atque decreta exegerunt. Nihil temere dico, nihil perfunctorie, nihil artificioſe, nihil ex Oratorum conſuetudine, nihil, quod non etiam ſapientiſſimi viri, iidemque ſanctiſſimi ſenſerint, atque exiſtimarint. Adſunt teſtes locupletiſſimi, qui de hac re nullatenus addubitare nos ſinunt. Adeſt Joannes Gerſo (8), quem rurſus honoris cauſa nomino, qui leges Eccleſiaſticas ex Euangelio excisas, atque exculptas eſſe teſtatur. Adeſt Innocentius III. (9), qui jus

(8) Joannis Gerſo in Recommend. Licent. in Decret. p. 2. t. 52. *Ex primis principiis, quæ nobis SS. Patres in ſcriptis ſuis exhibuerunt, originantur, ſicut a fonte fluvii Concluſionum particularium in ſacris Canonibus, in Conciliis Generalibus, in Pontificum Decretalibus contentarum .... Facilius eſt per Theologiam cognoſcere Canonicam ſcientiam, quam e contra, quia facilius eſt, & ordinatius deducere ex principiis concluſiones, quam ex concluſionibus ad principiorum notitiam pervenire.*

Idem alibi ait: *Canones nihil aliud ſunt, niſi Concluſiones elicitæ, vel illatæ ex principiis Theologicis, nimirum ex Euangeliis, aliiſque libris Canonicis per eos, quibus dicit Chriſtus*: Qui vos audit, me audit.

(9) C. 17. Qualiter, & quando de Accus. *Ex auctoritate novi, & veteris Teſtamenti proceſſerunt poſtea Canonicæ ſanctiones.*

jus omne Pontificium in novi, ac veteris Teſtamenti fundo natum, atque ex eo excerptum fuiſſe clamat. Adſunt tandem Concilii IV. (10) Lateranenſis Patres, qui ex feraciſſima ſacrarum Literarum propagine Canones veluti palmites ſe ſe profudiſſe confirmant. Quod ſi igitur ex Divinarum Scripturarum fonte noſtra hæc jura omnia profluxerunt, qui umquam ad plenam eorum intelligentiam contendere, ac venire poteris, niſi a Theologis Divinarum rerum ſtudio præcultus fueris, atque præparatus (11)? Et quidem quæ, & quanta erit no-

(10) C. 24. Ibid.

(11) Melchior Canus l. 8. c. 7. ait: *Quemadmodum Muſicus ab Arithmetico concluſionum ſuarum rationem ſumit, quod hæ concluſiones a principiis Arithmeticæ derivantur, ita & ſi quæ dogmata de moribus jus Pontificium vel ex Euangelio, vel ex Philoſophia colligit, ea ſane tamquam a propriis principiis accepta Theologus agnoſcet, rectiuſque & intelliget, & interpretabitur..... Atque cum Theologo ſacrarum Literarum cognitio propria ſit, quæcumque de moribus vel in ſacris Literis continentur, vel ex iiſdem per certam connexionem conficiuntur, ubivis Theologus invenerit, ea tamquam ſua vindicabit; Juriſperitus autem ut aliena mutuabitur. Cumque rurſum Philoſophiæ principia a Theologis etiam habeantur, ut qui de virtutibus, & vitiis, de fine humanæ vitæ, deque actionibus, quibus ad hunc finem pervenitur longe lateque diſſerant, & ſuper harum rerum jactis fundamentis morum fabricam extruunt; certe,*

ſtra doctrina, ſi humanarum ſcientia contenti eorum cognitionem negligamus, quæ nobis Deus in ſuo teſtamento reliquit? Difficile dictu eſt, quanta ſit humanæ rationis infirmitas, atque imbecillitas, quanta pravarum conſuetudinum perverſitate infecta, falſarum opinionum pravitate imbuta, omnique undique ad vitia conſentiente multitudine depravata, ita ut niſi noſter animus uberiore, ac puriore Cæleſtis doctrinæ lumine perfuſus ſit, atque illuſtratus, cæcutire, hallucinari, ac prope deficere cogatur. Referamus paulisper animum ad Ethnicorum tempora, eorumque doctrinam excutiamus, qui admirabili quadam ingenii abundantia præditi veritates divinitus evulgatas ignorarunt. Quot erroribus, flagitiiſque libros ſuos, vitamque conſpurcarunt? Alii enim uxorum communionem laudare, mendaciorum patrocinium ſumere, ut Platonici; alii paria eſſe omnia peccata, αὐτοχειρίαν perquam dignam eſſe homine ſapiente exiſtimare, uti Stoici; alii inceſtas nuptias, turpem παιδεραστίας labem in virtutibus pone-

re,

te, quæ in jure de moribus ex principiis naturæ ratione conſtitutis præſcribuntur, ea Theologus, quaſi ſuo ſibi jure aſſumet, Juriſconſultiſque expoſita, & enucleata tradit.

re, uti Solon; alii omnia vitæ officia ſola utilitate metiri, ut Carneades; alii, uti Cicero, ſe virtutem habere non a Deo, ſed a ſeipſo prædicare; alii demum in fœdiſſimo voluptatum cœno volutari, in eoque ſummum bonum conſtituere, quales Cirenaici, & Epicurei fuiſſe dicuntur. Sed quid ego tam longinqua, ac remota commemoro? cum jam noſtris hiſce temporibus plurimi extiterint, qui ingenio ſuo, quo plurimum valebant, fidentes, nec quidquam anxii, an ea, quæ pariebant, cum divinis concinerent, ab omnique Theologorum doctrina abhorrentes ea protulerunt, quæ illos vere deſipuiſſe declarant. Tulit enim ſuperior ætas (atque utinam noſtra pejores non ferat) quoſdam homines, qui inani quadam ingenii, & doctrinæ opinione inflati, graviſſimos Eccleſiæ Doctores, veteres Patres alto ſupercilio contemnentes, palam profitebantur, ſe ſe juris diſciplinam inſtauraturos, atque, ut ipſi impudentiſſime ajebant, e Scholaſticorum Romanenſium ineptiis, & quiſquiliis expurgaturos. O utres ventoſos! Verum hæ voces tam magnificæ, hæc promiſſa tam ſplendida quo reciderunt? Quid tandem emiſſum fuit dignum hiatu

tanto? Pravæ opiniones, pernicioſæ ſententiæ, teterrimi errores proſeminati ſunt. Hinc enim Hugogrotius (12) Monomachiæ adituS rigidiore cuſtodia ſeptos benigne aperire, Monogamiæ leges non eſſe matrimonio coævas (13), neque divinitus conſtitutas aſſerere, mendaciis habenas (14) laxare, aliaque multa effutire, quæ non modo Chriſtianæ Fidei, ſed ſanæ etiam Philoſophiæ plagas imponunt. Illinc Samuel Puffendorfius omnes naturæ leges intra hujuſce humanæ vitæ, & caducæ felicitatis fines (15) concludere, Religionis officia, divinumque cultum e naturæ jure (16) expungere, adulterio omne conjugii vinculum (17) abrumpi pronunciare, aliaque evomere, quæ & veritati, & rectæ rationi bellum indicunt. Quid Chriſtianus Thomaſius qui αὐτοχειρίαν cum naturæ legibus (18) poſſe componi, πολυανδρείαν neque naturæ, neque connubii fini (19) inimicam eſſe, ſtupra, libidines, impu-

(12) *L. 2. c. 15. §. 15.* (13) *L. 2. c. 2. §. 9.*
(14) *L. 3. c. 1. §. 11.*
(15) *In Præfat. de Offic. Homin. & Civ. in Apol. & alibi.*
(16) *De Jur. Nat. & Gent. l. 2. c. 3.*
(17) *De Offic. Hom. & Civ. c. 3.*
(18) *De Jure N. & G. l. 6. c. 1.*
(19) *L. 2. c. 2. n. 74.*

impuritates naturali rationi (20) minime adverſari contendit? Quid Thomas Hobbeſius, quid Molinæus, quid Salmaſius, aliique ſexcenti, qui peſtifera labe, & virulenta ſcabie totam fœdarunt Juriſprudentiam? Hi nimirum ſunt ii ſcopuli, hæ ſunt eæ Scyllæ, atque Carybdes, quibus allidunt illi, qui non veritatis divinitus evulgatæ, ſed humanæ prudentiæ veſtigia malunt conſectari. Eſt, eſt, Auditores, Euangelica doctrina ea dux, quam qui ſequuntur in omni diſciplinarum genere rectum, ſtabilem, inoffenſumque curſum tenere poterunt, qui vero ab ea deflectunt, tamquam in illuni nocte ſine lumine errantes, ſæpe aberrent, ſæpe offendant, ſæpe labantur neceſſe eſt. Cum igitur tanta ſit Cæleſtis doctrinæ vis, atque neceſſitas, cumque ſacræ Literæ, quibus ea continetur, Theologorum curæ, ac fidei ſint commendatæ, poteritne Canoniſta rectam viam ſemper inſiſtere, non in devia, non in ſaxa, non in rupes abripi, niſi Theologiæ lumen ſuæ doctrinæ, atque ſcientiæ admoverit. Sed jam ſatis multa. Reſtat modo, Auditores, ut vos ſtatuatis, jubeatiſque Theologiam intra ſacræ Juriſprudentiæ penetralia

(20) L. 3. c. 2. n. 206.

admitti, veteriſque harum ſcientiarum conjunctionis neceſſitudinem, quantum noſtrorum ſtudiorum ratio patitur, inſtaurare. Mirum enim, quot bona, & commoda rei Chriſtianæ indidem ſint exoritura. Nam jus Canonicum Theologiæ viribus adjutum, ejuſque opibus locupletatum ditiſſimas, optimaſque merces in literariam, & in Eccleſiaſticam Rempublicam invehet, lautam, ac mundam ſupellectilem inſtruet, ſanioris, ac purioris doctrinæ præcepta animis inſtillabit. Quid vultis amplius? Illum, qui ſummopere optandus eſt, maximarum virtutum concentum in nobis efficiet. Fidem cum morum probitate conjunget, exteriorem vitæ cultum cum interiore pietate copulabit, omnia denique ſanctitatis, & religionis officia inter ſe admirabili quodam fœdere componet. Hic eſt ille virtutum comitatus, Adoleſcentes, ad quem hodierna die mea vos invitat oratio, quemque ex harum ſcientiarum complexione vobis pollicetur, & ſpondet. Ad haſce igitur virtutes & ſcientia comprehendendas, & moribus exprimendas remis, veliſque contendite, quibus tandem ſplendide inſtructi, & ornati vobis bono, aliis exemplo, Eccleſiæ commodo, Ampliſſimo Præſuli gaudio eſſe poſſitis.

ORA-

ORATIO IV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

OMnes ita facti, comparatique ſumus, ut cum rerum omnium inopia, & egeſtate conſumimur, ea tantula inſtrui ſupellectile gliſcamus, quæ neceſſariis uſibus vix ſufficiat, eaque ſi forte nobis obtingeret, ſatis divites, ſatis beati fore videamur. Si vero ex hac neceſſitate enatare datum ſit, ſtatim aliorum fame, ſitique tenemur, & neceſſariarum rerum compotes jam facti ad ea etiam, quæ utilia, & frugifera eſſe poſſunt, cogitationes noſtras extendimus. Quod ſi ad hæc etiam remigare, atque appellere licuerit, non ideo animus noſter exſaturatur, ſed eorum etiam, quæ ornamento, & voluptati inſerviunt, indipiſcendorum amore contabeſcit. Ita ſane: ubi unam cupiditatem expleris, alia ſtatim illius locum ſubit. Juris Canonici Facultas, Auditores, cum ſe incultam, deſertam, tenebris obſitam videret, id unum a vobis tamquam votorum ſuorum extremum poſtulavit, ut eam ex umbra, e latebris, e ſolitudine in lucem, in ſubſellia, in conſpectum hominum aſſereretis. Aſſeruiſtis.

Mox alia incedit cupiditas, ſupplicemque porrexit libellum, quo ſibi ancillulam, pediſſequamque Philoſophiam concedi deprecabatur. Conceſſiſtis. At illa novo ſtatim deſiderio flagrare cœpit, voſque obteſtari, ut etiam adminiſtram, atque adjutricem tribueretis Theologiam. Tribuiſtis. Nondum factum ſatis illi eſt, alia poſtulat, nova deſiderat. Se adhuc mancam, mutilam, elumbem eſſe, adhuc famelicam, ſtrigoſam, gracilem, & macilentam, ſibi etiam nunc tenues opes, curtam ſupellectilem, anguſtumque] larem eſſe, veſtem, & monilia deeſſe, quibus ornata, & illuſtrata in publicum prodire cum dignitate poſſit, non ineſſe illam vim, ac robur, quo hominum animos moveat, rapiat, teneat, ſe demum indigere aliqua alia diſciplina, quæ eam paſcat, nutriat, ſaginet, quæ inſtruat, dotet, locupletet, quæ ſanguinem inſerat, ſpiritus addat, vires immittat. At quænam ea facultas, quæ tanti operis effectrix eſſe poſſit? Ea eſt, Auditores, quæ Martyrum, & Sanctorum virorum geſta enarrat, quæ Pontificum, & Conciliorum acta exhibet, quæ antiquorum Patrum monumentá refert, Apoſtolicorum temporum teſtis, Euangelicæ do-

ctrinæ

ctrinæ lux, Chriſtianæ vitæ magiſtra, avitæ diſciplinæ, ac purioris vetuſtatis parens, Eccleſiæ annalium, ſacrorumque faſtorum cuſtos, & conſervatrix Hiſtoria Eccleſiaſtica. Hanc, Auditores, a vobis hodierna die enixe efflagitat Juris Canonici ſcientia, hanc votis omnibus expetit, hanc denique a vobis ſibi dari valde confidit, ſpondetque, ſi quod modo orat, exorare potuerit, ſe numquam amplius ſuis petitionibus vobis importunam, ac moleſtam fore. Sine hac ſua omnia rudia, incerta, exanguia, atque exſucca fore, hac autem in ſui ſocietatem adſcita, omnia ſucci plena, uberrima, illuminata, perfecta futura. Date igitur hoc etiam anno hanc veniam Juri Canonico, Auditores, quam quidem haud ægre conceſſuros eſſe confido, ſi vobis, quemadmodum ſpero a me probatum iri, manifeſte conſtabit, neminem perfectum, probatumque Canoniſtam eſſe poſſe abſque Hiſtoria Eccleſiaſtica.

Chriſtiana Eccleſia, quam unam vere ſapere, unam ſancte ſentire, unam recte docere certo certius eſt, quam ſolam audire, ſolam intueri, ſolam ſequi debemus, cujus doctrinam numquam non in oculis ferre, num-

numquam non in animo gerere, numquam non ſinu fovere, & non oratione ſolum, & ſcriptis, ſed ſanguine etiam, ſi res ita feret, & capite ipſo tueri, atque defendere tenemur, Chriſtiana, inquam, Eccleſia, Auditores, literas ſuas non aliunde quam ab Hiſtoria auſpicata eſt. Nam ſimul ac illius fundamenta jacta fuere, ſtatim (1) Sanctiſſimi viri, divinoque afflati Spiritu extiterunt, qui ejuſdem Divini Architecti, ac Conditoris Chriſti vitam, ſermones, reſque geſtas Hiſtoriæ commendarunt. Cum vero, Chriſto ad Patrem reduce, Eccleſia, quam ipſe altiſſimis radicibus immotam, firmiſſimamque locaverat, in Apoſtolorum fidem, clientellamque conceſſerit, ipſique eam ratione ſibi divinitus tradita rexerint, ac gubernarint, Dei Optimi Maximi providentia (2) Sacrum Scriptorem ſuo numine percit, & inſtinxit, ut quæ in Chriſtianæ Reipublicæ procuratione ab Apoſtolis, diſcipuliſque acta fuerant, ad ſempiternam temporis memoriam propagaret. Apoſtolis autem ſua legatione, & fato functis, Pontifices, Epiſcopique, qui in eorum locum venerunt,

(1) Euangeliſtæ.
(2) S. Lucam: *Act. Apoſt.*

runt, nihil habuere prius, nihil antiquius, quam ut ea, quæ Eccleſia in Euangelio diſſeminando perpeti cogebatur, eorumque, qui pro Chriſti fide mortem oppetebant, fortitudo, conſtantia, magnanimitas literarum monumentis conſignarentur. Hinc Sanctum Clementem, qui de primo poſt Petrum Pontificatu cum Lino, & Anacleto certat, ſeptem Notarios conſtituiſſe, ſinguliſque binas Urbis Regiones diſtribuiſſe, juſſiſſeque, ut ea, quæ fortiter, quæ animoſe, quæ conſtanter Martyres pertulerant, ſollicite, & curioſe exquirerent; Sanctum Fabianum ſeptem creaſſe Diaconos, qui eam rem curarent, Notariiſque præſto eſſent; Sanctum Anterum Martyrum geſta maximis Notariorum laboribus, ſummiſque Diaconorum curis collecta in Eccleſiæ ſcrinia recondidiſſe antiquiſſimi ſcriptores tradiderunt (3). Atque hunc

(3) In libro de Romanis Pontificibus hæc leguntur de S. Clemente Papa: *Hic fecit ſeptem Regiones dividi Notariis Fidelibus Eccleſiæ, qui geſta Martyrum ſollicite, & curioſe unuſquiſque per regionem ſuam diligenter perquirerent*. De S. Fabiano: *Hic Regiones diviſit Diaconibus, & fecit ſeptem Subdiaconos, qui ſeptem Notariis imminerent, ut geſta Martyrum in integro colligerent*. Et de S. Antero: *Hic geſta Martyrum diligenter a Notariis exquiſivit, & in Eccleſia recondidit, propter quod a Maximo Præfecto Martyrio coronatus eſt*. Bail-

hunc quidem morem ea, quæ tyrannorum crudelitas, atque immanitas in Chriſtianos excogitaverat, exercuerat, exhauſeratque annalibus mandandi, non in una ſe continuiſſe Romana Eccleſia, verum ad alias etiam Provincias una cum Chriſtiani nominis propagatione manaſſe & Divi Cypriani Epiſtola, eo tempore, quo ab ſua exulabat Eccleſia ad Carthaginenſes Clericos data, & Pontius Diaconus perpetuus, fidiſſimuſque Cypriani comes, ejuſdemque Martyrii ſcriptor, & Smyrnenſium, Lugdunenſium, Viennenſiumque literæ ad Aſiæ, & Phrygiæ Fratres (4) ſcriptæ luculentiſſime teſtantur. At cum hæc ſcripta multis locis diſperſa, atque disjecta incertis veluti ſedibus errarent, vagarenturque, non defuerunt, qui,

quæ

Baillet in ſua Præfat. ad vitas Sanctorum §. 4. ait: *Se non multum deferre libro de Romanis Pontificibus*. Contra vero fidem huic libro habendam eſſe ajunt Cardinalis Baronius, & Florentinius *in Præfat. ad Martyrologia ab ipſis edita*, Molanus *ad Martyrologium Uſuardi c.* 21. Polyodrus Virgilius *de rerum inventoribus*, Bollandus *in Præf. generali* §. 2. Mabillonius *in Præfat. ad Sæculum V. Ordinis S. Benedicti*, Juſtus Fontaninus Archiep. Ancyranus *in Præfat. ad Codicem Canonizationum*, Joannes Ciampinus *in examine Libri Pontificalis ſect.* 12. Petrus Cutantius *to.* 1. *epiſt. Rom. Pont. p.* 120.

(4) Harum literarum monumenta nobis exhibet Ruinart.

quæ temporis edacitatem, & tyrannorum invidentiam non Chriſtianis modo hominibus, ſed eorum etiam libris (5) teterrimum bellum inferentem effugere potuerunt, ea omnia ſimul congererent, ſuis locis, & temporibus diſtinguerent, oratione illuſtrarent, atque ad Hiſtoriæ leges revocarent. Magna profecto laus debetur Euſebio Cæſarienſi, magna Anaſthaſio Bibliothecario, magna Simeoni Metaphraſti, qui omnium primi provinciam hanc alacriter obierunt, fideliter perluſtrarunt, naviter exornarunt. Intelligitis hinc, opinor, Auditores, quanta ſit Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ antiquitas, ex qua profecto, utpote ex ea, quæ prima in Eccleſiam pedem intulit, aliarum omnium Eccleſiaſticarum artium, ſcientiarumque ſtudia profluxerunt. Nihil ego in præſentia de aliis Eccleſiaſticis Facultatibus eloquar, unam tantum Canonici Juris Prudentiam mea nunc deſignat oratio, quæ ſane ex Hiſtoria Eccleſiaſtica magna ex parte non potuit non dimanare. Nam Patres, Pontifices, Legiſlatoreſque omnes Eccleſiæ, cum leges ſuas condiderunt, in eam, quæ Chriſti ætate, quæ Apoſtolorum temporibus, quæ primis Eccle-

(5) V. Arnobium ſub finem *l.* 4.

Eccleſiæ ſæculis viguit, diſciplinam tamquam in ſpeculum, morumque exemplar intuebantur, ad illam veluti ad normam, & regulam, quos ſcivere Canones, exegerunt, ad illam, quæ fixere decreta, explorarunt, ad illam, quæ rogavere ſtatuta, exquiſiverunt, ad illam, quæ ſanxere edicta, caſtigarunt, ad illam denique omnia mandata, præcepta, conſulta, ſcita, interdicta, ſanctiones, conſtitutioneſque omnes elaborarunt. Illud nimirum in ſuis legibus edendis ſemper ſpectavit Eccleſia, quod Divus Carolus Borromæus in ſuis Synodis ſe ſpectaſſe profitetur. „ Morum diſciplinam „ (ajebat ille (*6*) in ea, quam primitus Medio-

(*6*) „ Morum autem diſciplinam facile reſtituemus, ſi qua ratione, quibuſque factis primum conſtituta, diuque conſervata eſt, eamdem nos in reſtituenda adhibebimus illorum veſtigia perſequentes, qui hanc bonorum amplitudinem nobis Deo auctore ſua virtute pepererunt. Ponamus nobis, quæſo, Patres, ante oculos illorum vitæ ſanctitatem, & in adminiſtratione ſui officii ſapientiam. Erant integri, caſti, ſimplices, modeſti, humiles, bene morati, in oratione, & lectione aſſidui, ſui deſpicientes, in alienæ ſalutis cura, & cogitatione defixi, conſilio, & opera benigni, hoſpitales, in domeſtico cultu & vita parci, in alios benefici, & liberales. Erant vigilantes ſuper gregibus ſuis, vineam Domini ſumma diligentia, & labore cuſtodientes, & colentes. Paſcebant aſſidue oves ſibi com-

„ Mediolani habuit Provinciali Synodo)
„ facile reſarciemus, ſi quam viam, cur-
„ ſumque in ea primum ſancienda, diuque
„ ſervanda priſci Patres tenuerunt, eum-
„ dem & nos in reſtituenda inſiſtamus, per
„ eorumque veſtigia gradiamur, qui nobis
„ tantam hanc bonorum vim ſua virtute
„ pepererunt. Ponamus, quæſo, ante oculos
„ illorum vitæ ſanctitatem, pietatem, pru-
„ dentiam, quidque hiſce temporibus in
„ Eccleſiaſtica diſciplina inſtauranda factu

„ commiſſas triplici ſalutis cibo, verbo, exemplo,
„ & ſacramentis, memores quoque, & imitatores
„ ſummi Paſtoris Chriſti, qui pro univerſo grege ſuo
„ ſanguinem, & vitam profudit; ipſi pro ſuarum
„ ovium incolumitate quemvis excipere laborem,
„ ſubire omnes caſus, omnem vim, atque injuriam
„ perferre, denique ut bonus ille Paſtor Euangeli-
„ cus, animam ſuam ponere pro ovibus ſuis non du-
„ bitabant, nullum inde vitæ fructum expectantes,
„ ut maximos Cæleſtis retributionis fructus conſe-
„ querentur. Hæc ſi ut debemus, Patres, ante ocu-
„ los habebimus, facile intelligemus, quid in reſti-
„ tutione Eccleſiaſticæ diſciplinæ nobis ſit hoc tem-
„ pore agendum. In quo illud etiam animadverten-
„ dum erit, ut quemadmodum in conformanda, &
„ conſtituenda Eccleſiaſtica ratione Chriſtus Dominus
„ ab ipſis Apoſtolis, quos Chriſtianæ vitæ magiſtros
„ eſſe voluerat, initium fecit, ſic nos a nobis ipſis
„ Paſtoribus, quos vivendi exempla, & præcepta
„ aliis tradere oportet, in conformanda, reſtituenda-
„ que morum diſciplina exordiamur „. *S. Carolus Borromæus in Con. Mediol. Prov. I.*

„ nobis opus ſit, facile dignoſcemus „. Hæc ſemper fuit Eccleſiæ vox, ſemper illa Apoſtolica tempora conſuluit, ſemper primorum Patrum vitam, & ſanctimoniam ante oculos habuit, atque ex ea leges elicere, ex ea Canones decerpere, ex ea decreta exculpere curavit, non dubitans, quin numeris omnibus abſoluta ea futura eſſet morum ratio, & forma, quæ priſcæ, & avitæ diſciplinæ conſone ſicut echo reſponderet. Excutienda igitur nobis ſunt, Auditores, omnia vetuſtatis exempla, ſuperiorum temporum mores, atque inſtituta perdiſcenda, veteres Eccleſiæ annales conſulendi, perluſtranda omnis antiquitas, replicanda omnium antiquarum Hiſtoriarum, monumentorumque memoria, ſi ad eos fontes, unde Eccleſiæ Canones fluxerunt, labra admovere, purioreſque Eccleſiaſticæ diſciplinæ latices delibare, ac deguſtare velimus. Verum ſis, licuerit Canoniſtæ officinas, ubi Canones conflati ſunt, cuſique, ignorare, hortulos, unde hæc noſtra jura expreſſa, exſuctaque ſunt, neſcire, lapidicinas, unde Eccleſiaſticæ leges effoſſæ, exſectæque fuerunt, cognitas non habere licuerit; at certe quod pretium, quæ bonitas, quæ vis, pondusque ſingulis inſit

Cano-

Digitized by Google

Canonibus non tenere non licebit. Quì vero hoc noſſe poterit, qui Conciliorum acta non evolverit, Eccleſiæ annales non penſitarit, rei Chriſtianæ faſtos non pervolutarit? Age enim. Canon aliquis in medium profertur. Quo in pretio eſſe debeat, a te exquiritur. Euge vero id nobis prome. Quo in Concilio editus fuit hic Canon? Quot Patres ad illud convenerunt? Quanta animorum conſenſione perlata lex fuit? Nam in Patrum, ſuffragiorumque numero multum ponderis, ac momenti eſt. Hi ipſi Patres qui, quantique viri, quanta doctrina eximii, pietate inſignes, rerum gerendarum prudentia egregii? Nec ſolum e Patrum numero, verum etiam ex eorum ſcientia, & integritate ſuam laudem, exiſtimationemque Concilia, horumque Canones mutuantur. At perge porro; hoc etiam nobis ediſſere. Quæ cura ſuſcepta, qui labor impenſus, quod ſtudium adhibitum in hujus Canonis obſervantia commovenda, alenda, ſuccendenda? Numne ubi illum jacere, violari, infringi viderunt, eum iterum excitare conati ſunt Eccleſiæ Patres? Numne nullis adverſariorum minis, nulla tyrannorum vi, nullis potentium clamoribus deterreri potue-

runt, quin ad ejus cultum omnium fidelium mentes extimularent? Quanto enim magis verendus hic Canon, quam illi, de quorum firmitate non adeo eſt laboratum. Neque hoc ſatis eſt, illud etiam a te ſcire velim, utrum tuus hic canon dignus fuerit, qui e ſuæ ditionis finibus egrederetur, aliis Provinciis jura diceret, aliarum Eccleſiarum ſacris præeſſet, aliarum gentium, ac populorum moribus firmaretur, majore certe honore, cultuque donandus, quam illi, qui a nullis nationibus expetiti, a nullis aliis Synodis ſuſcepti, ab nulla Eccleſia recepti, in iis terrarum regionibus, in quibus nati ſunt, uſque conſtiterunt. Quid? putaſne hæc omnia ab ullo ſciri poſſe, qui Hiſtoricum pulverem non decucurrerit? Quid illud, quod certe Hiſtoricorum eſt, noſſe quibus tempeſtatibus conditi Canones fuerint? Num tutis pacatiſque rebus, an vero turbulentis, ac periculoſis; num quando pietas effloreſcebat, virtuteſque in Eccleſia, tamquam in ſuo Regno dominabantur, an cum vitia & ſcelera ubique ſigna ſuſtulerant, & latiſſime jam graſſabantur; num denique Chriſtiana Republica integra, & incolumi, an ægra & labante, ejuſdemque ſanandæ ſpe

prope

prope depoſita. Plurimi enim id refert. Nam Eccleſia optima omnium parens, atque magiſtra ita ſua Decreta adverſus pravos, qui inoleſcunt mores, quique multitudine, & auctoritate peccantium triumphant, lenire ſolet, ut multum etiam lolii ferat, ſinat, patiatur, ne illud evellendo triticum etiam eradicet, remque omnem penitus perdat. Hærent adhuc infixa omnium mentibus ea tempora, Auditores, quæ univerſos Eccleſiæ Patres ad Religioni laboranti opem ferendam Tridentum evocarunt. Quam miſera tunc, quam luctuoſa rerum facies! Omnia ſus deque verſa, omnia ad perniciem profligata, omnia perdita, atque ad naufragium jam ruentia; mali vis, quæ in venis, ac viſceribus Eccleſiæ prius concepta, ac concluſa latebat, aperte ſe, ac propalam effundens florentiſſimas Provincias omni flagitio, ac crudelitate lacerabat, ſcelerum contagio, quæ oves jam depaſta erat, in dies latius ſerpebat, & ad Paſtores ipſos manabat, lues, quæ circumdique virus ſuum afflaverat, in arcem ipſam invaſerat, cuncta, ut inquit Paulus III. (7), plena odiis, plena diſſidiis, plena ſimultatibus, omnia ſtudio par-

(7) In Bulla Indictionis.

tium, factionum, fluctuumque inter ſe collidentium conflictatione conturbata, omnium ordinum mores, ut ipſa Synodus Tridentina conqueritur (8), depravati, Religioſarum Familiarum diſciplina penitus fracta, Sanctarum ſocietatum inſtituta refixa, atque ut in ea oratione, quam primum in Concilio Tridentino habuit, Galliarum calamitatibus illacrymans Cardinalis Lotharingius ait (9), templa ſpoliata, inflammata, diruta, & ſolo æquata, aræ everſæ, & Sacerdotum cæde maculatæ, avulſæ e ſedibus ſuis Virgines Deo ſacræ, ſacramenta protrita, ſacra ſupellex igni abſumpta, divinæ imagines dejectæ, ſacri Codices exuſti, Sanctorum reliquiæ e ſacrariis abſtractæ, ac nefario ſcelere coinquinatæ, Paſtores e ſuis ſedibus ejecti, ſacrificia polluta, Pontificum, Regum, atque Imperatorum exhumata cadavera, ſuprema auctoritas probro, ac contemptui habita, leges omnes ſilere coactæ, Cæleſtia, ac immortalia nihil penſi habita, Dei metus projectus pedibus, boni omnes tremefacti, extrema ſpe pendere, atque peſſima omnia ſuo capiti, Eccleſiæ, Religioni metue-

(8) *Seſſ.* 25. *de Regular. c.* 21.
(9) V. Pallavicinum, *Hiſt. Con. Trid. l.* 19. *c.* 3.

metuere, ac formidare. Quid, quæſo, in tanta malorum colluvie conſilii capere poterant Tridentini Patres? Quid in tanto rerum diſcrimine ſtatuere? Quid in tanta vitiorum ſentina edicere? Nonne multa perpeti, multa diſſimulare, multa etiam concedere debuerunt, quæ aliis certe temporibus ferre, tolerare, permittere non potuiſſent? Neque enim eædem curationes corporibus gravi, ac diuturna morborum vi debilitatis, exhauſtis, & prope conſumptis adhibendæ ſunt, quæ ægrotis integrarum adhuc virium, & morbi diuturnitate nondum fractis. Molliora illis remedia quærenda ſunt, non quæ urant ſtatim, & ſecent (eſſet enim id ægrotum conficere, ac profligare) ſed quæ ſolummodo dolorem leniant, morbi aſperitatem mitigent, mali gravitatem allevent, acriora vero, & validiora in id tempus rejicienda, cum doloris acerbitas ſedata, ardor morbi remiſſus, virium imbecillitas relevata. Senſerat id Divus Carolus Borromæus numquam non ſine magno honore a nobis appellandus, qui cuidam Cardinali nimiam ſibi Conciliorum frequentiam exprobranti reſpondiſſe fertur, Concilium Tridentinum, eam, quæ tunc afferri potuit,

exulceratis rebus medicinam attuliſſe, maluiſſe autem ægrotum cum aliqua morbi parte alere, quam utrumque ſimul e medio tollere, priſtinam autem incolumitatem Eccleſiæ reſtituendam Provincialibus, Diœceſaniſque, quas creberrimas habendas eſſe decrevit, Synodis reliquiſſe. Quid nos igitur, Auditores, in Canonum bonitate, & vi præſtanda? Nonne expendamus oportet tempora, quibus ii lati fuerunt, videamuſque, num ex illis ſint, quos temporum difficultas extorſit, an ex iis, quos vera Eccleſiæ ſententia expreſſit? Quanto enim purior, quam ſanctior in his, quam in illis enitet diſciplina? Non enim illi digni ſunt, quibus perpetuo hæreamus, arctiſſimeque inſideamus, ſed ultra nitendum eſt, atque ad eorum, qui aureis Eccleſiæ ſæculis ſciſcebantur, diſciplinam in nobis exprimendam pleno gradu contendendum. Neque vero ſi hodie molliora, mitioraque jura habemus, priſtinos Eccleſiæ Canones, tamquam Athenienſium, & Lacedæmoniorum leges, antiquatos eſſe exiſtimandum eſt. Calet adhuc Eccleſia eodem ſpiritu, quo Apoſtolicis calebat temporibus; eodem æſtu, quo re Chriſtiana florente fervebat, etiamnum fervet;

eadem nunc quoque flamma æſtuat, qua prioribus ſæculis æſtuabat. Haud minus hodie, ac olim caſtos, integros, puros, ſanctoſque ſuos Sacerdotes eſſe expetit; non ſecus hodie, ac olim avaritiam, ambitionem, libidines ab iis penitus exulare concupiſcit. Quod ſi vero nunc non eaſdem, quas olim leges decernere poteſt, non eamdem morum integritatem exquirere, non eamdem diſciplinæ vim tueri, non proinde refrixit illius ſpiritus, ardor deferbuit, fervor conſedit, ſed rerum converſionibus, ac temporum motui parere neceſſe eſt, nautarumque prudentiam imitari, ut ait S. Cyrillus, qui magnis ſævientibus procellis, quædam projiciunt, ut cætera e naufragii periculo eripiant. Cognoſcendæ igitur nobis ſunt rerum Eccleſiaſticarum mutationes, temporum varietates percipiendæ, Chriſtianæ Reipublicæ exitus, & viciſſitudines non ignorandæ, ſi quæ cujuſque Canonis bonitas, dignitas, ſanctitas ſit, plane dignoſcere velimus. Sed vide quam liberaliter agam. Ne ſit hoc tam neceſſarium, ut ſi eo careat Canoniſta, nomen ſuum tueri, ac retinere non poſſit; illud vero, ſine quo Canones intelligi, explicarique nulla ratione

que-

queunt, non poterit eſſe non omnino neceſſarium. Quid, ſi ne hoc quidem abſque Hiſtoriæ ope haberi poteſt? Nam quì umquam genuinum, germanumque alicujus Canonis ſenſum haurire poteris, niſi ab Hiſtorico didiceris, quæ res condendo Canoni cauſam dederit, quod ulcus illud fuerit, cui medendo ſcripta ea lex fuit, quæ prava conſuetudo, cui eliminandæ Patres Decretum illud fixerunt, quæ quæſtio, quantiſque armis, & viribus oppugnata, cui definiendæ Pontifices Oraculum illud ediderunt? Senſum, inquam! Ipſa medius fidius Canonum verba, ipſa vocabula, niſi ab Hiſtoria adjutus fueris, non aſſequeris. Eſt enim, eſt quibuslibet temporibus ſuus ſermo, ſua quibuslibet Civitatibus loquendi formula, atque una, eademque lingua alios aliis temporibus fudit ſonos, alias in aliis regionibus voces edidit, alias iiſdem verbis occuluit ſignificationes. Quid enim? Incidis in *Parœciæ* nomen. Quid ſibi vult hæc vox? Territorium, inquies, cujus ſacra in Sacerdotis cura latent, atque tutela. Ita ſane, ſi recentior ſit Canon; at ſi antiquior, omnia illa includit Territoria, quæ in Epiſcopi ditione poſita erant. Quid vero

ro Diœceſis? Hæc plures olim Eccleſiaſticas Provincias complectebatur, Conciliumque Diœceſanum idem erat, ac nunc Nationale. Fuit quoddam tempus, quo Epiſcopi tantum appellabantur *Sacerdotes*, neque hac voce Presbyteri dignoſcebantur, niſi eos clauſula *ſecundi generis* interpunxiſſet; fuit cum *Papæ* nomen non uni Romano Pontifici, ſed omnibus Epiſcopis commune erat; fuit denique, cum non ſolum Euchariſtia morti proximis tumultuarie delata, verum Baptiſmus, Confirmatio, Abſolutio, Extrema Unctio, omnia præterea ea ſubſidia, quibus Animæ ex corporis vinculis evolaturæ muniebantur, Viaticum vocabantur (10). Quid ſi in *Primatis* nomen incurras? Hic videris oportet, ad quas Regiones deveneris. Nam ſi ad Africam appuliſti, non Metropolitanos, aut Metropolitanorum Præſides, ſed ordine ſeniores hoc modo compellabis. Miſſa (11) vero quam multas, quam varias pro varietate temporum & locorum induit formas? Aliquando enim populum dimittere, interdum quælibet Eccleſiaſtica officia in ſa-

cris

(10) Gabriel Albaſpinæus, *l.* 1. *obſ. c.* 1.

(11) Card. Bona *l.* 1. *Rerum Liturgicarum c.* 1. §. 6. *c.* 2. *n.* 3.

cris ædibus peragere, nonnunquam dies feſtos agitare, alicubi etiam publicas nundinas agere viſa fuit. Mitto alia hujuſmodi permulta, quæ in Jure Canonico paſſim occurrunt. Fac ergo illum, qui res nec locis, nec temporibus diſtinguere umquam didicit, in veteres Conciliorum Canones, in antiquorum Patrum ſcripta, in priſcorum Pontificum Decreta delabi. Quot in vepreta offendet? quam ſæpe irruet? quam multis dumetis allidet? Verum quæ res a nobis quæritur, & oratione noſtra quem tandem hominem inſtituimus? Eumne, qui in arte ſua tolerabilis tantum, an qui excellens, qui eximius, qui ſummus denique, & admirabilis ſit? Illum, illum, Auditores, Canonici Juris peritum mea deſignat oratio, qui non ſolum ingenti legum, Canonum, Conſtitutionumque bene etiam intellectarum numero memoriam ſuam oneraverit, ſed etiam multarum rerum geſtarum, factorum, exemplorumque vi pectus ſuum complerit, qui ea, quæ dicit, non ſolum Conciliorum auctoritate, Patrum ſententiis, Pontificum teſtimonio confirmet; ſed ſanctorum quoque virorum exemplis demonſtret, factis illuſtret, vita exornet. Abundat enim Eccleſia non

tam

tam legibus, & Decretis, quam exemplis, & recte factis, nec tam illis, quam hiſce Chriſtianos homines ad pietatem, ad virtutem, ad veram gloriam calcaribus veluti admotis excitat, ſtimulat, impellit. *Policletum inſignem ſtatuarum opificem ferunt* (12) *librum de artificio ſuo edidiſſe, quem* Canonem *inſcripſit; quo libro omnia, quæ in ſtatua hominis fingenda obſervari conveniret, quæ ſingularum partium minimarumque figura eſſet, qui ſitus, quæ inter ſe proportio ſubtiliſſime, & accuratiſſime perſequutus eſt, eodem autem tempore ſtatuam a ſe factam propoſuit, in qua omnia diligentiſſime obſervata erant, quam ſtatuam ipſam quoque* Canona *nominavit*. Ita porro & Eccleſia, Auditores, libros edidit, quibus recta traditur vivendi ratio, optima morum diſciplina edocetur, omnium virtutum, & officiorum præcepta continentur; at præterea & plurimorum ſanctorum virorum vitas, actioneſque propoſuit, in quibus ea omnia, quæ a ſacris Codicibus præcipiuntur, accuratiſſime cælata, expreſſa, effictaque ſunt. Nam Apoſtolorum, & Martyrum vitæ, primorum Pontificum, & Epiſcoporum geſta, aliaque San-

(12) Muretus *in Orat. de Phil. Mor. neceſſ.*

Sanctorum virorum, qui numquam alii aliis ſuccreſcere, alii ex aliis continenter propagari in Eccleſia deſinunt, recte facta ſunt totidem vivi Canones, e quibus Epiſcopi, ſacrorumque Præſides optimam adminiſtrandi, agendi, vivendique rationem plenius, ac melius quam ex intermortuis, ut ita dicam, ſcriptis Canonibus deſumere poſſunt. Nam præter quam quod & clarius, & luculentius in illis, quam in his virtutes deſcriptas intuemur, habent etiam hoc exempla, ut validius, quam præcepta hominum animos ſuccendant. Viget enim in omnium animis, eaque in omni ſenſu implicata inſidet imitatrix quædam facultas, quæ hominem ita fingit, ut aliorum facta, & exempla non poſſit non conſectari. Nata eſt nobiſcum quædam invidentia, & æmulatio, quæ ita nos comparat, ut quæ in aliis videmus, aut audimus, in nobis ipſis etiam ineſſe expetamus, eaque proinde in noſmet derivare contendamus. Hac vi in animis noſtris dominante, ad ſingulas virorum ſanctitate eminentium, omnique virtutum genere excellentium actiones animum erigimus, in omnia exempla intendimus oculos, ad eorum imagines exardeſcimus, pedem inferimus in eadem veſtigia, eorum facta

ſta effingere, mores exprimere, omnem denique vitæ conſuetudinem ſectari imitando conamur. Ac veluti equi e carceribus emiſſi ſpatium decurrentes ab iis, qui evolantes ad metam præeunt, accenduntur, ac impelluntur ad majores niſus eliciendos, majoreſque conatus exerendos; ita etiam Chriſtiani gregis homines perfectionem appetentes, ac ſanctitatis ſtadium decurrentes præclare factis cote veluti acuuntur aculeiſque excitantur, ingenitiſque ſcintillulis accenduntur, ut iis, quos conſectantur fructus, omnino pares eliciant. Affluat igitur Canoniſta neceſſe eſt non tantum præceptis, atque ſanctionibus, ſed etiam factis piorum virorum illuſtribus, & glorioſis, ſitque nobis ille qui non ſolum multorum Canonum, plurimarumque legum numerum recitare, ſed & inſatiabilium quamdam exemplorum vim, ac copiam poſſit proferre, qui non modo intellectum docere, ſed voluntatem etiam ad ea, quæ docuit impellere, non tantum notiones regere, ſed affectiones ipſas valeat permovere. Hunc ego qui in Canoniſtarum ſubſelliis ſedeat, hunc, qui ad Juriſprudentiæ cathedras evehatur, hunc denique, qui in Canonici Juris provincia dominetur, dignum judicabo. Et revera qui-

ham

nam ſunt ii Jureconſulti, qui omnium ore laudantur, qui omnium manibus teruntur, qui tanto denique nomine digni putantur? Nempe ii, qui ſcripta ſua veterum annalium monumentis perſperſerunt, plurimis antiquitatis exemplis ditarunt, omnigena eruditione cumularunt. Quo enim alio nomine commendatur ille, de quo poſteritas neque tacuit adhuc, nec tacebit umquam Jacobus Cujacius, cujus Decretalium interpretationes perennem quemdam fontem dixeris, ex quo numquam intermittente, numquam inſiſtente fluxu Hiſtoricarum uſque, & incredibilis rerum copia profluit? Quam aliam ob rem laudatur ille, cui Juriſprudentiæ Muſæ ſe admodum debere profitentur, Franciſcus Duarinus, qui florido, & ubere, & quaſi ſtellis quibuſdam ita petitis ex vetere Hiſtoria exemplis illuminato, atque diſtincto orationis genere tum legum omnium, tum Canonum fontes recluſit, totamque Juris ſcientiam admirabili quadam luce colluſtravit? Te vero quibus efferam verbis, quibus laudibus ornem noſtræ Italiæ decus, noſtrorum temporum lumen, ſacræ literariæ Reipublicæ ornamentum, vir de Eccleſia, de Religione, de Chriſtiana re præclariſſime merite,

te, ſapientia, doctrina, eruditione, editorum voluminum nobilitate celeberrime, quamdiu ſuus Fidei, literiſque ſuus ſtabit honos, omnium memoria immortalis, Benedicte XIV. qui tam uberem doctrinæ copiam, & varietatem ex omni antiquitate collegiſti, atque in aureis tuis libris effudiſti, ut Eccleſiaſticæ eruditionis princeps, pater, & fons merito appelleris. Teſtes ſunt Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, & Germaniæ Academiæ, quæ tibi antiquitatum Chriſtianarum ſummo, maximoque ſtatori, fautorique nomen uno ore indiderunt. Ipſi enimvero a Catholica Fide extorres homines obſtupuerunt, oculos extulerunt, aures erexerunt, cum in tuis operibus tantam antiquarum rerum cognitionis vim ſenſerunt, tam multa vetuſtatis exempla agnoverunt, tam ſplendidam veteris diſciplinæ lucem conſpexerunt. Deſinant jam modo Græci (13) Latinis obtrectare, *multos apud hos eſſe Decretales, Canoniſtam autem neminem reperiri*; conticeſcant exteræ gentes, eaſque comprimant vo-

(13) Auctor librorum de Hyerarchia ſub-cæleſti hæc verba expreſſit anno 1446: *In Eccleſia Græca multi ſunt Canoniſtæ, ideſt ſcientes canones Univerſalium, & Generalium Conciliorum, in Latina nulli ſunt Canoniſtæ, ſed multi Decretaliſtæ.*

ces, quas adverſus noſtrates identidem jactitant, veneranda Hiſtoriæ (14) ſubſidia a nobis negligi, omneſque in eam haud dubiam ſpem veniant, fore, ut Jus Canonicum renatum quodammodo, & recreatum feliciter erigat ſe, & ad ſummum tandem dignitatis faſtigium aſſurgat. Et ſane qua alia ope, niſi Hiſtoriæ, illum ſqualorem, ſitumque, quo per tot ſæcula obſitum elanguerat, exuere potuit, illam maciem, qua tamdiu extabuerat, abſtergere, illamque caliginem, qua tam longo tempore obrutum fuit, diſjicere, diſpellere, diſſipare? Latebat, Auditores, Canonica Diſciplina craſſis occultata, & circumfuſa tenebris, ingentes errorum maculæ omnem pene Juris Eccleſiaſtici candorem infuſcarant, magna ſacræ Juriſprudentiæ offuſa nox, ſubdititii Canones pro legitimis, ficti pro veris, adulterini pro germanis, alieni pro genuinis, corrupti pro ſinceris, mutilati pro integris, Apocryphi pro Canonicis paſſim obtrudebantur; Codices omnes diferti quiſquiliis, paleis operti, Iſidorianis mercibus farcinati; non æra e lupinis, non aurum e luto, non gem-

(14) Juſtinus Febronius *de Statu Eccl. & legit. Papæ poteſtate Tom.* 2. *p.* 132.

gemmæ e ſterquilinio, non perca a ſcorpio diſtingui poterat. Verum Dis, Superiſque grates, quod tandem poſt longam ſæculorum ſeriem exorti fuere homines, qui Hiſtoriæ lucernam adhibentes, per omnia loca diſcurrentes, lincæum ubique oculum circumferentes, num res ſibi ſemper conſentirent, num perſonis congruæ, & opportunæ, num loca locis, tempora temporibus convenirent, diligentiſſime inveſtigantes tentarunt omnes latebras, tetigerunt omnia ulcera, ad vivum cuncta reſecarunt, omnia denique ad exactam trutinam, ad ſeverum examen, ad Lydium lapidem revocarunt, exegerunt, exploraruht. Jam diſcuti ſtatim ex oculis tenebræ cœperunt, jam bonum a malo, æquum ab iniquo, atrum ab albo internoſci, jam Iſidoro, qui arrepta temporum occaſione homines fefellerat, cornicumque oculos confixerat, larva detrahi, fallacium mercium fucus detergi, & nocte jam depulſa veritas illuceſcere. Nullæ literæ, nulla poſteritas de te umquam conticeſcet, Cardinalis Cuſane, qui omnium primus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ vi Iſidorianos angues in herba latitare ſenſiſti, atque in hæc monſtra ad vindicandum Canonicæ ſcientiæ dignitatem na-

viter, & animoſe, ſicut in Lernæam Hydram Hercules, arma diſtrinxiſti, aliiſque ſigna ſuſtuliſti, ut omnes manu facta in ſuppoſitas irruerent Decretales, ſumptiſque Hiſtoriæ armis eas omni regione extruderent, Canonicamque Provinciam ab omnibus monſtris, & erroribus liberarent, atque expurgarent. Hoc ſigno excitati, & experrecti Antonius Contius Juriſconſultus, & Antonius Auguſtinus Tarraconenſis Archiepiſcopus non paucas Iſidori nitedulas e ſuis vepreculis extraxerunt, extractaſque confixerunt, tantique negotii provehendi, perficiundique gloriam poſterioribus ſæculis reliquerunt. Jam appetiit hoc tempus, jam magna acceſſio, per immortalem virum (15) Juri Canonico facta eſt, jam ſuo proxima faſtigio moles eſt, jam inibi eſt, ut ad ſummum cacumen evehatur. Quin igitur nos contendimus ad hanc laudem, & veterno, quo ſtudia noſtra congelarunt, excuſſo, hoc præclarum ædificium ad tantam altitudinem jam eductum tandem abſolvimus, & exædificamus? Quin vetera Eccleſiæ monumenta conterimus, animumque antiquorum temporum cognitione ſaturamus? Magni profecto ſunt

(15) Benedictum XIV.

ſunt illi fructus, qui nobis inde ſunt orituri. Juverit enim Religionis noſtræ initia, incrementa, progreſſioneſque videre, Chriſtianæ Reipublicæ mutationes, Eccleſiaſticarum rerum eventus intueri; juverit omnem Juris originem, ſingulorum Canonum ortum cernere, eorumque naturam, fibras, ſtirpeſque introſpicere, vim, poteſtatemque comprehendere, ſenſumque haurire; juverit demum Patrum memoriam revocare, ſanctiſſimam vitam, optimamque eorum diſciplinam, integerrimos mores ſpectare, ex iiſque vera vivendi, agendique præcepta capere. Eja igitur, Adoleſcentes, veſtra enim cauſa hæc a me inſtituta Oratio eſt, tam bonas, tam dites merces, quæ in Hiſtoria Eccleſiaſtica non magno valituræ proſtant, vobis coemite, tam grandem, tam frugiferam meſſem, quæ in ejus campo ſe ſe vobis offert, demetendam, in veſtra horrea condite amplas inde divitias, opeſque laturi. Moveat vos ſummorum virorum exemplum, qui Juriſprudentiæ Atlantes, lumina, & Principes gentium omnium conſenſu habentur, & ſunt, quique præcipuam tantæ ſapientiæ partem ex Hiſtoriæ penu combiberunt; moveat vos videre Canonici Juris ſcientiam ex iis

errorum tenebris, quo eam Chriſtianarum antiquitatum ignari compulerant, per eruditiſſimos viros, atque Hiſtoricarum rerum ſcientiſſimos vindicatam multiſque luminibus auctam, amplificatamque; & ſi hæc omnia ad vos movendum ſatis non ſunt, moveat vos tandem, ſapientiſſimi Epiſcopi auctoritas, qui ad hanc ipſam rem & non intermiſſis exhortationibus, & acerrimis ſtimulis, & ampliſſimis propoſitis præmiis vos quotidie allicit, excitat, invitat. Parete igitur tam optimis monitis, tam ſancto ejus deſiderio morem gerite, tantoque Præſule auſpice, & Patrono Eccleſiæ faſtos *nocturna verſate manu, verſate diurna.*

ORA-

ORATIO V.

NON deerunt fortaſſe, qui mirentur, quod Juris Canonici ſcientia, quæ non ſemel antea in hanc dignitatis pleniſſimam lucem a me producta numquam alias ſe in hoc judicium deſcendere, nullamque amplius petitionem coram vobis inſtituere decreverat, nunc mutata voluntate denuo in hæc comitia prodeat, vobis ſe ſe ſiſtat, novamque afferat poſtulationem. Verum ſi huc rurſus veniendi cauſam, rationemque cognoveritis, ſimul & id, quod facit, probabitis, & quod petit, æquiſſimo jure illi concedendum eſſe exiſtimabitis. Non enim hoc anno ancillarum famulatum, ut antea, a vobis depoſcit, non Matronarum comitatum efflagitat, non ſociarum auxiliares copias expoſtulat, ſed ut ſuæ germanæ ſororis communionem, conjunctionemque per vos retinere poſſit, obteſtatur. Surrexiſſe enim, ait, turbulentos quoſdam homines, ſuæque gloriæ, pacis, otii, incolumitatis, bonorumque omnium inimicos, qui Civilem Prudentiam amantiſſimam ſororem ab ea divellere, ac diſtra-

here conantur, & niſi quam citiſſime occurratur, præſentiſſimumque adhibeatur remedium, rem ad apertiſſimas, æternaſque inimicitias mox eſſe venturam. Jam diſſenſionis diſcordiæque ſemina jacta eſſe, ſimultatum ſcintillulas excitari cœpiſſe, illum amorem, benevolentiamque, quæ maxima intercedebat, deferbuiſſe, rara nunc inter ſe colloquia fieri, omnia denique impendentis diſſidii ſigna adeſſe. Itaque, antequam hæc inimicitiæ flamma latius ſerpat, longiuſque dimanet, ad vos confugit, Auditores, oratque, ut primum hanc malevolorum hominum turbam ſeditionis ſigniferam, rixarum concitatricem abs ſe removeatis, tum ut inter ſe, Civiliſque Juris ſcientiam conciliatis animis fœdus renovare, amicitiam integrare, communitatem inſtaurare velitis, eamque firmiſſimo, æternoque vinculo colligare. Se nimirum abſque illa nihil ferme moliri, nihil conari, nihil perficere poſſe; ſibi, ſi tanta orbetur ſorore, omnia inſuavia, injucunda, vitamque ipſam moleſtam fore; ſe nempe in illius gremio altam, educatamque fuiſſe, cum ea hactenus ſemper vixiſſe, ab ea multum hauſiſſe, multa didiciſſe, cum illa ea omnia, quæ ſe cura ali-

qua

qua afficerent, communicaſſe, ad illam de rebus ſuis maximis, & dubiis uſque retuliſſe, ab ea denique optima conſilii, prudentiæque lumina numquam non accepiſſe. Habetis, Auditores, quam juſta ſit cauſa, quæ Canonicam Diſciplinam ad conſpectum veſtrum ſubeundum hodierna die compulerit, quamque æqua, & honeſta ſit ejus poſtulatio, plane intelligitis. Quæ ſi alicui fortaſſe adhuc non ſatis æqua videtur, data mihi concione, expectet pauliſper ſilentio, dum eam ſuadere conor; efficiam enim, ſpero, ut omnes intelligant, ad Juris Canonici laudem contendenti Civilem ſcientiam eſſe maxime neceſſariam.

Optatum Milevitanum (1) dicere ſolitum ferunt, *Eccleſiam in Republica contineri*. Præclara ſane vox, & ſapiente homine, qualem ſanctiſſimum illum virum fuiſſe accepimus, plane digna, quæque declarat, eos, qui Chriſti vexilla ſequuti Eccleſiæ Civitate, ut ita dicam, & jure donati ſunt, non ideo Reipublicæ Civitatem, & jura amiſiſſe, ſed adhuc eos Imperii membra, parteſque eſſe, adhuc ſuæ Patriæ inſervire, adhuc illius legibus obtemperare, adhuc denique pro

(1) *L. 3. contra Parmenianum.*

pro ea ſua omnia ponere, vitamque ipſam conſecrare debere. Nam cum ab ipſis Eccleſiæ incunabulis nonnulli, qui Chriſto nomen dederant, ſe ſe idcirco ab ſuorum Principum poteſtate vindicaſſe (2), Civiliumque legum jugum excuſſiſſe exiſtimarent, in eos acriter inſurrexit Paulus, illoſque uti officiorum ſuorum immemores objurgavit, atque ſanctiſſimo vinculo, quo antea cum Republica obſtricti erant, eodem & poſtea devinctos fore, *omnemque animam poteſtatibus ſublimioribus ſubditam eſſe debere* pronunciavit (3). Non

(2) „ Quidam Fideles (*ait D. Thom. in c. 13. „ ad Roman.*) in primitiva Eccleſia dicebant, terrenis poteſtatibus ſe ſubjici non debere propter libertatem, quam conſequuti erant a Chriſto, ſecundum illud Joannis 8. *Si Filius vos liberaverit, „ vere liberi eritis*. Sed libertas per Chriſtum conceſſa eſt libertas Spiritus qua liberamur a peccato, „ & morte.... Caro autem adhuc remanet ſervituti „ obnoxia, ſicut ſupra c. 7. dictum eſt..... Adverſus iſtos ajebat Paulus: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſt*.

(3) S. Chryſoſtomus Homil. 23. in Ep. ad Roman. „ Poteſtatibus ex debito obedire jubet (Apoſtolus) „ oſtendens quod iſta imperentur omnibus & ſacerdotibus & Monachis, non ſolum ſæcularibus; id, „ quod ſtatim in exordio declarat, cum dicit: *Omnis „ anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*; etiam ſi „ Apoſtolus ſis, ſi Euangeliſta, ſi Propheta, ſive quiſquis tandem fueris. Non enim pietatem evertit „ iſta ſubjectio. „.

Non enim noſtræ Fidei, Religioniſque auctor, & parens Chriſtus, cum Eccleſiæ ſuæ æternum duraturæ fundamenta jecit, Regum imperia (4) evertere, aut ulla ex parte voluit imminuere, ſed ea farta, tecta, ſuiſque in ſedibus firma reliquit, Magiſtratibuſque obtemperandum, obediendumque omnibus eſſe exemplo ipſo, nedum verbo demonſtravit. Ita ſane, Auditores. Omnes ſive Pagani, ſive Chriſtiani, ſive Sæculares, ſive Eccleſiaſtici, ſive Laici, ſive Clerici, ſive ſacrorum adminiſtri, ſive Præſides, omnes, omnes inquam, in Reipublicæ ſumus poteſtate, omnes non unius modo Eccleſiæ, ſed Regum etiam, & Principum mandatis parere, imperata facere, juſſa exequi, leges colere, ac diligere ſumma tenemur Religione. Jam vero cum vita noſtra ita ſit componenda, ut & Pontificum Decretis, & Principum conſtitutionibus apprime reſonet, reſpondeatque, actiones noſtræ ita dirigendæ, ut & ſatis Eccleſiæ, & Reipublicæ ſatis faciamus, cumque & Religionis, & Imperii leges moribus noſtris ſint exprimendæ, magnaque animi proviſione caven-

(4) Eccleſia in ſuis hymnis: *Non eripit mortalia, qui Regna dat Cœleſtia.*

vendum, ne dum unis nimis tenaciter adhæreſcere ſtudemus, in aliarum offenſionem incurramus, nonne utræque ſimul nobis erunt ediſcendæ, utræque ſcientia comprehendendæ, utræque animo excipiendæ, utræque uno ſtudio conjungendæ, utræque interpretatione ita temperandæ, ut neutræ ſibi officiant, ut ambæ ſuaviſſimum, perfectiſſimumque vitæ concentum (5) in nobis efficiant? Neque vero ea ſolum, quæ ad civilia negotia, verum etiam ea, quæ ad res Eccleſiaſticas pertinent, Imperatorum legibus continentur. Etenim cum Reſpublica Eccleſiam in ſui tutelam, præſidiumque receperit, eique ad hoſtium vim repellendam, ſeditiones extinguendas, turbas comprimendas, rixas ſedandas, improbos, flagitioſoſque in officio continendos, Canonum contemptores puniendos, contumaces frangendos opem ſuam pollicita ſit, ac tendat, eas etiam leges ſciſcere ſuum eſſe duxit, quibus Clericorum vita, moreſque formarentur, Sacerdotum judicia exercerentur, Eccleſiaſtica negotia accurarentur. Hinc Leo, & Anthemius (6) Imperatores iis omnibus, qui non caſti, non in-

(5) Juſtinianus *Nov.* 42.
(6) *L.* 31. *C. de Epiſcopis*, *&* *Cleric.* &c.

integri, non lautis, puriſque manibus eſſent, aditum omnem ad Epiſcopales infulas intercluſerunt, neve quiſquam ad tantam dignitatem ambitu, & largitione pecuniæ obrepere adniteretur, maximarum pœnarum metu deterruerunt, omnemque ambitionis, avaritiæque ſuſpicionem a templorum adytis, ſacriſque penetralibus removentes illum tandem Epiſcopum, illum tanto nomine dignum cenſuerunt, qui vocatus renueret, invitatus recederet, rogatus effugeret, quique invitus, nolens, reluctanſque ad onus humanis humeris certe impar ſubeundum precibus & obſecrationibus eſſet cogendus, Epiſcopiſque vetuere (7), ne quemquam indicta cauſa, & niſi juſta ratio popoſciſſet, Diris devoverent, Monachoſque intra ſua clauſtra & legibus (8) & pœnis continuerunt. Hinc Arcadius, & Honorius omnes a Religionis, Fideique candore extorres Sacerdotiis minuendos, dignitate, gradu, locoque Eccleſiæ omni movendos eſſe (9) lege lata ſanxerunt. Hinc demum Theodoſius, & Valentinianus impiorum hominum libros ex omnium mani-

(7) *L.* 30. *C. de Epiſcopis*, *&* *Cleric.* &c.
(8) *L.* 29. *C. de Epiſcopis*, *&* *Clericis*, &c.
(9) *L.* 3. *C. de Hæreticis*, *&* *Manic.* *&* *Sam.*

manibus excuti, ignique tradi (10) voluerunt. Quid Honorius, & Theodoſius, qui (11) edicto caverunt, ne Sacerdotes ullam feminam, quæ ſibi arctiſſimo cognationis vinculo conjuncta non eſſet, domi retinerent? Quid Jovinianus (12), qui ſacrarum Virginum caſtitatem rigidiore cuſtodia ſepſit, atque munivit, eoſque, qui ſibi illas connubio ſociaſſet, capitali pœna feriendos eſſe decrevit? Quid denique Juſtinianus, qui conſtituit (13) qua ætate ad ſacros ordines adſcendere liceret, qui Epiſcopis, Clericiſque omnibus ſpectacula, ludoſque interdixit (14), qui Patriarchis, Archiepiſcopiſque (15) edixit, ut ſæpius indicerent, haberentque Concilia, qui in Epiſcopis creandis non nobilitatis, non opum, non potentiæ, non gratiæ, ſed ſanctitatis, ſed doctrinæ, ſed virtutum, ſed meritorum rationem habendam eſſe ſanxit (16), omnemque Epiſcopalis dignitatis conſequendæ ſpem illis ademit, queis filii, queis nepotes ſuccreſce-

(10) *L. 6. C. eod.*
(11) *L. 19. C. de Epiſcopis, & Cleric.* &c.
(12) *L. 5. C. eod.*
(13) *Nov. 123. c. 13.*
(14) *Nov. 123. c. 10.*
(15) *Nov. 123. c. 10.*
(16) *L. 42. C. de Epiſcopis, & Cleric.* &c.

ſcerent, ne qui Divino cultu ſe ſe abdere debebant, rerum domeſticarum cogitationibus alio avocarentur, neve ea Eccleſiarum bona, quæ ad Dei miniſtros alendos, pauperes juvandos, ſacras ædes reficiendas, apparandaſque corrogata erant, in Epiſcoporum ſobolem, cognatoſque effunderentur, qui adverſus eos (17), qui feſtinanter nimis, inconſiderateque Monachorum vitam amplectebantur, remedia legibus quæſivit, qui Clericorum multitudinem (18) coercendam, certoque numero definiendam, eoſque unos in Eccleſiaſticorum album referendos eſſe ſtatuit (19), in quibus ſanctitas morum, pietas, Religio, literarum ſcientia eluceſceret, quique ſecundis nuptiis incontinentiæ ſuſpicionem non injeciſſent. Sed quem ego dicendi finem faciam, ſi ea omnia, quæ Imperatores de Epiſcopis, de Clericis, de Monachis, de Eccleſiis conſtituerunt, oratione percurram? Sunt enim omnes Juſtinianei libri hujuſmodi legibus confertiſſimi, quæ ſane cum optimæ ſint, aureaque Eccleſiæ tempora nobis referant, veteremque Patrum diſciplinam expri-

(17) *Nov.* 5. *c.* 2.
(18) *Nov.* 6. *p.* 3.
(19) *Nov.* 6. *p.* 2.

primant, quis eas Canoniſtæ ad diſcendum perneceſſarias, illaſque cum ſacris Canonibus conjungendas non putarit? Putavit certe jam inde a ſexto uſque ſæculo Joannes ille Antiochenus, cui Scholaſtico nomen, qui, cum compilandorum Canonum provinciam ſibi depopoſciſſet, eam ſylogem concinnavit, quæ non ſolum Conciliorum, & Pontificum decretis, ſed Imperatorum etiam conſtitutionibus perſperſa eſt, quamque idcirco Nomo-Canonem nominavit. Putavit Photius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, qui Scholaſticum ducem ſequutus alium Nomo-Canonem magno, quo præditus erat, ingenio conflavit, ingenti diligentia elaboravit, ſumma cum laude perfecit. Putavit Regino Abbas Prumienſis, qui ſæculo X. ineunte Romanas leges haud paucas ex libris ſententiarum Pauli, plures ex Theodoſiano Codice in ſuam Canonum collectionem derivavit. Putavit Ivo Carnotenſis Epiſcopus, qui Codicis, Novellarum, Inſtitutionum, Pandectarum loca plurima in ſuum Decretum non dubitavit inferre. Putavit denique Gratianus ipſe, qui leges Civiles multas ex Theodoſiano, ex Juſtinianeo Codice multas exſcripſit, illaſque Eccleſiæ conſtitutioni-

bus

bus permixtas nobis exhibuit. Adeo illi omnes animo imbiberant mancam, ac mutilam fore abſque Civilium legum ſtudio Canonum prudentiam. At ſi quis eſt, cui hi omnes tanti non ſint, ut eorum moveri debeat auctoritate, adeat is Joannem VIII. Pontificem Optimum Maximum (20), qui ut Epiſcopis ſuaderet, ne quemquam, non perorata utrinque cauſa, anathematis mucrone percellerent, & Concilium Africanum, & Juſtinianeam Novellam memoravit; conſulat ſanctum Gelaſium (21), qui in literis ad Siciliæ Epiſcopos datis, ut Epiſcopis, quas ipſi diu poſſederant, Diœceſes aſſereret, tricennalem Imperatorum le-

(20) Joannes VIII. Papa: *Inſuper Apoſtolatui noſtro intimavit (Dickbertinus) ut eum ſine ratione diſcuſſa excommunicare velitis. Quapropter Apoſtolica auctoritate jubemus, ut nemo veſtrum eum excommunicet, antequam ad legis examen perveniat. Scitote, quemadmodum in Centeſimo Capitulo Concilii Africani legitur, ſimiliter in Secundo Novellarum Juſtiniani libro, ut nemo Epiſcopus, aut Preſbyter excommunicet, antequam cauſa probetur.*

(21) S. Gelaſius I. epiſt. 10. ad Siciliæ Epiſcopos: *Si facultates Eccleſiæ, nec non & Diœceſes ab aliquibus poſſidentur Epiſcopis, jure ſibi vindicet, quod tricennalis lex concluſit, quia & filiorum noſtrorum Principum ita emanavit auctoritas, ut ultra triginta annos nulli liceat pro eo appellare, quod legum tempus excluſit.* C. I. c. 16. q. 3.

legem nuncupavit; legat Concilium Hiſpalenſe II. (22), in quo & Pontificum rogationes, & Principum leges ùna recitatæ fuerunt; evolvat Synodum (23) Duziacenſem, in qua magnus ille Rhemenſium Antiſtes Hyncmarus plurimas Civiles Sanctiones adverſus Laudunenſium Epiſcopum diſtrinxit; percurrat denique Sancti Gregorii (24) Epiſtolas, ubi paſſim Sapientiſſimus vir ſua effata Imperatorum ſcitis tamquam ſepimento aliquo vallat, & munit. Una hic mihi ſit inſtar omnium, quam Sanctiſſimus Pontifex (25) Joanni Defenſori in Hiſpanias commigranti dedit tamquam normam, ac libellam Eccleſiaſticarum litium diſtrahendarum. Nonne tota ea epiſtola quanta quanta eſt Juſtinianeis legibus (26) conferta eſt? Verum non contenti Romani Ponti-

(22) C. 6. *c.* 16. *q.* 3.

(23) Vide *Tom.* 5. *coll. Ard. col.* 1257.

(24) L. 1. *ep.* 9. *l.* 3. *ep.* 38. *l.* 4. *ep.* 25. *l.* 6. *ep.* 36. *l.* 7. *ep.* 29. 39. *l.* 9. *ep.* 6. 7. *l.* 13. *ep.* 3. 4. 11.

(25) *L.* 11. *ep.* 57.

(26) *Nov.* 123. *c.* 8. 19. 21. 22. *Nov.* 9. *c.* 9. *l.* 10. C. De Epiſcopis & Cler. *l.* 2. 6. C. De his, qui confugiunt ad Eccleſ. *l.* 4. C. Si a non competente Judice, &c. *l.* 20. C. De his, qui accuſare non poſſunt. *l.* 7. *ff. ad legem Jul. Majeſt.* *l.* 21. §. 2. De teſtib.

tifices, Eccleſiæque Patres ad humana jura provocaſſe (27), ad eaque ſuas de rebus graviſſimis controverſias detuliſſe, ipſos etiam Canones, quos ad Eccleſiaſticam diſciplinam figendam, regendamque condebant ipſi, ex Civilibus legibus elicere, atque decerpere non dubitarunt, ita ut pleræque Conſtitutiones, quæ nunc Canonum notam fronte gerunt, nil aliud ſint, quam Civiles Romanorum leges ſacrorum Canonum nomine, pallio, & amictu contectæ. Quid enim? Legiſtin' in Gregorianis decretalibus (28) Judæis permiſſum eſſe veteres ſynagogas habere, eaſque collabentes, ruenteſque reficere, ac reſtituere, dummodo tamen a novis excitandis, extruendiſque abſtineant?

(27) Honorius III. a Joanne Cardinali Columnâ ſuo per Orientem legato de variis quæſtionibus conſultus ita reſpondit: *Cum jura Canonica, & civilia edita ſint ſuper omnibus fere articulis prænotatis, procedas in his ſecundum Canonicas, & legitimas ſanctiones.* Gregorius Magnus in ſuis ex Regeſto Decretis ſæpenumero præcipit, ut ſecundum leges, & Canones Eccleſiaſtica judicia terminentur.

Gelaſius Papa Ep. 4. ad Anaſtaſium Imperatorem Tom. 2. coll. Ard. col. 897. ſcripſit: *Quantum ad ordinem pertinet publicæ diſciplinæ cognoſcentes Imperium tibi ſuperna diſpoſitione collatum, legibus tuis ipſi quoque parent Religionis Antiſtites, ne vel in rebus mundanis excluſæ videantur obviare ſententiæ.*

(28) C. 7. De Judæis.

Hoc Reſcriptum Pariſienſi Epiſcopo datum ex Theodoſii, & Valentiniani (29) Conſtitutione Alexander III. arripuit. Habeſne Honorium III. & Bonifacium VIII. (30) connubia inter te, tuorumque cognatorum Sponſam interdicere, clamareque hujuſmodi Matrimonii fœdus nullum eſſe, publicæque honeſtatis juri repugnare? Hanc Decretalem Epiſtolam ex Ulpiano, ex Modeſtino, ex Juſtiniano (31) hauſerunt. Teneſne Nicolaum magnam in Matrimoniis contrahendis Arrogationis, Adoptioniſque rationem (32) haberi voluiſſe? Ipſe Sanctus Pontifex ex Juſtiniani Inſtitutionibus hoc ſe expreſſiſſe (33) fatetur. Quid ea, quæ de Spirituali cognatione a Sancto Gregorio III., a Sancto Zacharia Pontifice, ab Alexandro III. (34) ſancita fuerunt? Nonne ex Juſtinia-

(29) *L. poſtrema*. C. De Judæis.

(30) C. 1. *c.* 3. De Spon. & Mat. *c. un.* De deſpons. Impub. *in 6.*

(31) *L.* 12. De ritu nuptiarum. *l.* 42. C. *eod.* §. 9. *Inſt. de Nup.*

(32) In reſponſo ſecundo ad reſponſa Bulgarorum; pauca hujus reſponſi verba relata ſunt *in c. un. de cognat. legal.*

(33.) Vid. §. 1. *&* 2. De Nupt.

(34) In Conc. Gregorii II. primo c. 4. anno 723. In Conc. Romano I. S. *Zachar.* anno 743. *c.* 1. 2. 7. *De cognat. Spirit.*

nianeo (35) Codice exprompta ſunt? Quid illa, quæ de iis, qui præ nimio frigore aruerunt, Lucius, Alexander, Clemens, Cæleſtinus, omnes hujuſce nominis tertii Pontifices (36) decrevere? Nonne & hæc Juſtinianea (37) ſunt? Quid illud, quod Gregorius IX. de eo (38) ſtatuit, qui cum adeſſe juſſus fuerit, atque citatus, Domicilii mutatione judicium illud quærit effugere, quod quidem ab Ulpiano (39) ſumptum eſſe conſtat? Sua clamat eſſe Zeno Imperator (40), quæ Gregorius Magnus in cauſis Januarii Malacitani, & Stephani Epiſcopi *De Jurejurando in litem* (41) præcepit. Sibi deberi ait titulum omnem *De plus petitionibus* Paulus Jureconſultus, atque e ſuis ſententiarum libris conſutum fuiſſe. Abs ſe mutuata eſſe ea, quæ *De cauſa poſſeſſionis, & proprietatis* (42) Cæleſtinus III. roga-

(35) L. 67. C. De Nuptiis.
(36) C. 4. De Frigidis, & Maleficiatis c. 2. & 3. cod. Colleſt. Gregor. c. 4. cod. primæ Coll. c. 5. cod. Colleſt. Gregor.
(37) L. 10. C. De Repud. *Nov.* 22. c. 6.
(38) C. 19. De Foro compet.
(39) L. 7. 4. De Judiciis.
(40) L. 9. c. Unde vi.
(41) C. 7. c. 2. q. 1.
(42) C. 2. De poſſeſſ. & prop.

rogavit, Ulpianus, & Calliſtratus (43) contendunt. At longum eſſet, veſtraque nimis abuterer patientia, Auditores, ſi eas omnes Civiles leges, quæ ad conflandum Jus Canonicum confluxerunt, vellem percenſere. Satis erit id unum affirmare, paucos admodum reperiri *Decretalium titulos*, quibus elaborandis non ſuam etiam contulerint ſymbolam Senatus conſulta, reſponſa Prudentum, Principum conſtitutiones. Quid, quod judicia Eccleſiaſtica ſæcularium Judiciorum inſtar modo exercentur, eorumque forma ab legum Civilium pendet imperio? Fuit enim quondam, fuit, cum Eccleſia in controverſiis ſuis dirimendis non clamoſa, longa, difficili, valdeque impedita, uti nunc, ſed pacata, brevi, planaque ac ſimplici judicandi forma utebatur. Nullæ tunc judiciorum formulæ, nullæ conteſtandarum litium cantiunculæ, nulli judiciariæ texendæ telæ modi, nulli laquei, nulli circuitus, nullæ ambages, Civilium, Prætoriarumque *actionum, exceptionumque* nomina Eccleſiæ inaudita, *interdicta*, ne de facie quidem nota, verbo tricæ omnes Forenſes exulabant, omneſque Curia-

(43) L. 35. *ff.* De acquirenda poſſeſſ. *l.* 37. *ff.* De Judic.

Curiarum ſtrepitus omni Eccleſiæ aditu prohibitus, reſque omnes parvo tempore, nullis impendiis, maximo collitigantium pacis, concordiæque bono, optimaque cum gratia componebatur. Atque hæc quidem judicandi conſuetudo longo ſæculorum decurſu in Eccleſia viguit, nec niſi ſæculo undecimo Eccleſiaſticorum Judiciorum converſio fieri, illaque agendi, cauſaſque orandi ſimplicitas Eccleſiæ Tribunal deſerere viſa eſt. Cœperunt enim eo tempore in Italia præſertim, finitimiſque Regionibus civilium legum ſtudia valde admodum florere, maximaque in laude haberi, illique ſoli aliquo in numero, ac honore eſſe putabantur, qui de jure civili alacriter poſſent reſpondere; cæteræ vero artes frigere, nullæ eſſe, ac conticeſcere jubebantur. Itaque ſolus Juſtinianus per ea tempora totam pene literariam Rempublicam regebat, Tribonianus ſcholas omnes, omnia gymnaſia tum publica, tum privata occupabat, nihil in exhedris, niſi civilia Jura exaudiebantur, nullus locus, nulla Academia erat, in qua Romanorum leges non reſonarent. In tanto civicarum legum ſtrepitu, atque rumore, Clerici omnes (ad Eccleſiam enim tunc temporis tamquam ad

Aſylum pulſæ undique literæ confugerant; jamque obtinuerat conſuetudo, ut Literati quicumque eſſent (44) Clerici appellarentur) Clerici, inquam, omnes civili ſcientia ita ſe abdiderant, ita ejuſdem cognoſcendæ ſtudio exarſerant, ita eis ſacrarum literarum, Canonumque ſtudium tepuerat, atque elanguerat, ut Concilium Turonenſe, & Honorius III. lato Canone, jactoque Anathemate (45) tantum ilium, nimiumque legum ediſcendarum æſtum, ardoremque comprimere, & ſedare, illumque in ſacris ſcientiis languorem, teporemque excitare, ac concalefacere conati ſint. Cum tanta igitur apud Eccleſiaſticos viros fortuna tunc gauderent civiles leges, ut eæ ſolæ eorum ingenia detinerent, animos exercerent, linguam acuerent, pectus complerent, non potuit non evenire, Auditores, quin illæ e ſcholis, ex exhedris, e circulis ad Eccleſiæ forum, ſubſellia, roſtra per eoſdem homines traducerentur. Tunc enimvero primum cœperunt Eccleſiaſticæ Curiæ *Dilationibus*, *Exceptionibus* perſtrepere; tunc Epiſcoporum ædes

(44) Du-cange in Gloſſario mediæ, & infimæ latinitatis, Verbo *Clerici*.
(45) C. 3. & *c.* 10. Ne Clerici, vel Monachi.

ædes mutuis *Petitionibus*, *Articulis*, *Interloquutionibus* reſonare, tunc *Apellationes*, earumque *Fatalia*, *Apoſtoli Dimiſſorii*, *Reverentiales*, *Refutatorii* Eccleſiaſticorum Judicum ſellas obſidere, tunc denique *Aſſeſſores*, *Advocati*, *Graphiarii*, *Procuratores*, *Apparitores* Eccleſiæ Tribunal circumſtare. Cum igitur humanarum legum prudentia & in omnium Clericorum ſcholis, plateiſque regnaret, & in cunctis Eccleſiaſticis Judiciis dominaretur, factum eſt etiam, ut Eccleſiæ regimini ii præficerentur, qui & diu antea cum Triboniano vixerant, & in foro multum verſati erant, quique proinde Juſtinianei Juris homines erant callentiſſimi. Hic ego quid memorem Alexandrum III. virum Civilium rerum prudentiſſimum, quid Innocentium III. qui humanæ legis omnes latebras, rimulas, ſinus, receſſus, cellulas ita ſcrutatus erat, ut nihil omnino in jure eſſet, quod illius mentem lateret, quid Bonifacium VIII., Joannem XXII., alioſque plures ſummos Pontifices, in quibus mira civilis ſcientiæ vis eluxit? Hi ſiquidem omnes, quotieſcumque de ordinanda lite interrogabantur, conſulebanturque in reſpondendo, & in jure dicundo leges civiles, quarum

 erant

erant peritiſſimi, præ oculis ferentes nullam aliam Eccleſiaſticarum cauſarum inſtituendarum, agendarum, ſolvendarumque rationem præſcribebant, niſi quam a Juſtiniano ipſi didicerant, ita ut ſæcularia judicia primum clam, ſenſim, quaſique per cuniculos, nullo jure, vitio temporum in Eccleſiam ingreſſa, tandem per ipſos Pontifices juſſa ſint in ea conſiſtere, reſque omnes Eccleſiæ moderari (46). Non is ego ſum, Auditores, qui nunc hanc Judiciorum formam in Eccleſiaſticum Forum invectam velim, aut auſim in vituperationem adducere; nec temporis, nec loci ratio ſinit: hoc unum modo affirmare mihi poſſe videor, dum Eccleſia hunc litigandi morem patitur, dum priſtina illa nuda, ac ſimplex judicandi ratio poſtliminio redeat, ſuaque omnia jura, dignitatemque recipiat, quamdiu denique res in eo, in quo nunc eſt, ſtatu conſiſtit, legum Civilium cognitionem non poſſe Canoniſtæ non omnino eſſe neceſſariam. Sed exeamus e Curia, & Foro, totumque id, quod litium, cauſarum, judiciorumque eſt, deſinamus. Quid? num idcirco te ex omnibus cautibus, ſalebriſque evaſiſſe putas, nec amplius

(46) Vide S. Bernardum *l.* 1. *De conſid. c.* 4.

plius civili prudentia indigere exiſtimas, quæ tibi in reliquis Canonicis regionibus peragrandis ſe comitem præbeat? At quid ſi incidas in provinciam pactorum, injuriarum, reſtitutionum? Quid ſi ad ea loca devenias, in quibus empti, locati, pignoris, mutui, mandati (ſunt enim hi loci etiam in jure Canonico) aliorumque contractuum aguntur res? Quid ſi de Teſtamento, Legatis, Fideicommiſſis reſpondendum tibi ſit? Quo te vertes? Quem hominem, Deumque implorabis? Si jam quid ſit horum omnium natura a Jureconſulto numquam didiceris, ſi quas pœnas culpa, quas mora in iis luere debeat, a Juſtiniano non hauſeris, ſi nihil attigeris eorum, quibus hæc omnia conſtringuntur, atque diſſolvuntur? Hem quem putas tibi in hoc Scyllæum fretum delato manum porrecturum? Num Canoniſta? At hic de hiſce rebus tecum agit tamquam cum homine, cui hæc omnia familiariſſima ſunt, jam te neceſſariam legum præcurſionem adhibuiſſe exiſtimat, jam ea, quæ a Jureperitis edocentur, tamquam tibi nota, & domeſtica præterit, jam tibi Decretales recitat nonniſi civilibus auribus exaudiendas. Quid tu interim? Hæſitabis, titubabis, progredi nullo modo

modo poteris. Hui quid ſtas? Ad Juriſconſultos contende, in eorum ſcholas te te mitte, ab eis ediſce ea, quæ in hiſce Decretalibus ſubaudiuntur, ab iis ea cognoſce, quæ canones jam te præſciſſe arbitrantur. Hiſce adjutus nullus erit locus adeo præruptus, in quo libere non ſpatieris, nullæ cautes adeo ſalebroſæ, quas tutus non prætervoles, nulla alea adeo anceps, unde ſarctus tectus non emergas. Ab hiſce manu veluti ductus omnes Pontificii juris materias pleno gradu poteris luſtrare, omnium Canonicarum Conſtitutionum tractationem alacri, & prompto ore, ac vultu obire, omnia Conciliorum Decreta, Patrumque ſcita inoffenſo pede percurrere. Ab his denique edoctus in ſubſelliis, in conſultationibus, in judiciis primas facile feras. Dici vix poteſt, quantum ſubſidii per Canonica regna gradienti ſtudia tibi afferent Conſtitutionum Imperatoriarum. Teſtes ſunt eæ Maximorum Pontificum Literæ, ac Bullæ (47), quibus Monachis, Clericiſque, *ut faciliorem ſibi ad Canones muniant viam* (ita enim (48) ſonant) humanarum legum ediſcen-

(47) Vide Pyrrum Conradum *In praxi Diſpenſat. p. 3.*
(48) *Pro majori Sacrorum Canonum intelligentia.*

ſcendarum facultas (49) fieri conſuevit. Noverunt enim illi nemini ad plenam Canonici Juris ſcientiam patere aditum poſſe, niſi per leges civiles; has eſſe veluti atrium, atque veſtibulum, per quod in Divinarum legum templum introitur: atque cum Carybdim inter, Sirtemque verſarentur, hinc ſcilicet metuerent, ne ſi Clerici civili ſcientia ſe ſe merſarent, civilibus etiam negotiis, undiſque obruerentur; (res aleæ pleniſſima, ait Bathonienſis Archidiaconus Petrus Bleſenſis, eſt legum ars, totum enim hominem exſorbet, totum exhaurit, totum illa irretitum tenet, ut nullus Eccleſiaſticis, nullus

(49) Baptiſta a S. Blaſio Tom. I. Tractatuum. tract. *De contradictione Juris Civilis cum Canonico contrad.* 34. refert: „ Studium Patavinum habere „ privilegium hoc, quod Clerici poſſint audire jus „ Civile per quinquennium ad eorum inſtructionem, „ ut facilius capere poſſint doctrinam juris Canonici.„ Hujuſmodi etiam privilegium conceſſum fuiſſe Univerſitati Salisburgenſi ait *Ludovicus Engel in proœmio coll. Jur. Can.* & tale privilegium tributum eſſe etiam Academiæ Lovanienſi indicat *IVan-Eſpen Jur. Eccleſ. Univ. p.* 1. *tom.* 2. *c.* 6. *n.* 10.

Proſper Lambertinus Card. Inſt. 42. n. 16. ait: *Joannes XXII. ob fidem ſingularem, quam hæc noſtra Civitas (Bononia) erga ſedem Apoſtolicam oſtendit, cum atrociſſimis bellis Italia vexaretur, privilegium a Clemente V. prius acceptum ſua auctoritate confirmavit, nempe ut Clerici Sæculares Civile jus addiſcerent.*

nullus ſacris, nullus Divinis rebus locus relinquatur); illinc autem vererentur, ne, ſi ab Eccleſia pelleretur Jus Civile, una etiam ſacri Canones cum eo cogerentur exulare, rem eo adduxerunt, ut humanæ Juriſprudentiæ ſtudium & certis Clericis adſtringerent, & certis locis concluderent, & certo tempore definirent, verbo lautum improbarent, ſobrium etiam (50) commendarent. Quinimmo Patribus Concilii Tridentini Interpretibus tam non ſevere, tam non ægre cum Civilis Juris ſtudioſis actum fuit, ut eos interim ab ſua Eccleſia abeſſe ſinant, & pingues etiam Præbendarum fructus percipere, modo tamen in ea ſcientia morentur tamquam in ſtadio (51) ad Canonum doctrinam capeſſendam. Bene enimvero, ac ſapienter. Nam præter quam quod maximam lucem a ſe ſe invicem mutuantur hæ duæ ſcien-

(50) Vid. Fagnan. in c. ſuper ſpecul. *Ne Clerici, vel Monachi*. Petrus Bleſenſis ait: *Bonum eſt ſcire leges non ad quæſtum, non ad iniquum juris compendium, ſed ad inquiſitionem veritatis, & judicii æquitatem*. Vide Mabillonium *De Studiis Mon. p. 3. c. 5. n. 3.*

(51) Proſper Card. Lambert. loco citato ait: *Sacra Congregatio teſte Fagnano Clericis Univerſis, qui Juris Civilis ſtudio in aliqua Academia detinerentur, conceſſit, ut Præbendarum fructus perciperent, modo tamen poſt jus Civile Pontificium quoque amplecterentur, illoque uti vellent, ut ſecundum magis intelligerent.*

ſcientiæ, illud etiam accedit, ut ſe ſe invicem adjuvent, ſuaſque operas ſibi (52) mutuas tradant. Sunt enim ſibi maxime cognatæ, ſunt finitimæ, ſunt ſimillimæ, fœdus inter ſe icerunt, pactæque ſunt, ut ubi hæc reſpondendo non eſt, illa ſtatim adſit, ubi vero illa, hæc illico præſto ſit. Quid enim? Accidit ne aliquid in Eccleſia, cui ſacri canones mederi non valent? Adſunt leges civiles, a quibus remedia petas. Contingit ne aliquid in re publica, cujus in Civili jure nulla ineſt medicina? En tibi ſacri Canones, a quibus curationem quæras. Adeo ſua invicem bona ſibi commodant; adeo mutuis animis, mutuis opibus, mutuis viribus adjuvantur. Quemadmodum, ait Lucius III. Epiſcopo Paduano (53), leges ad Canones aliquando confugiunt, ab iiſque quod optimum factu eſt, ſumunt, ita Canones ſe ad

leges

(52) C. Si in adjutorium Diſt. 10. *Si in adjutorium veſtrum etiam terreni Imperii leges aſſumendas putatis, non reprehendimus. Fecit hoc Paulus, cum adverſus injurioſos Civem Romanum ſe eſſe proteſtatus eſt.*

(53) C. 1. De novi operis nunciat.: *Sicut leges non dedignantur ſacros Canones imitari, ita & ſacrorum ſtatuta Canonum Principum conſtitutionibus adjuvantur.*

Authent. Ut Clerici apud proprios Epiſcopos, &c. §. Si vero. c. 6. habetur: *Secundum ſacras, & divinas regulas, quas etiam noſtræ ſequi non dedignantur leges.*

leges referre, ex iiſque agendi regulam haurire non dedignantur.

Quæ cum ita ſint, Auditores, cum nobis non ſolum Eccleſiæ, ſed etiam Reipublicæ legibus vivendum ſit, cum in Juſtinianeis tabulis eæ etiam inſint ſanctiones, quibus ſacræ, Eccleſiaſticæque curantur res, cum ſanctiſſimi, ſapientiſſimique Pontifices reſponſa ex Jure Civili & petiverint ipſi, & petenda eſſe monuerint, cum ex immenſo Legum Romanarum campo plurimi Canones in agros Pontificios translati ſint, cum eodem ferme juris ordine & Laicorum, & Eccleſiaſticorum nunc rogentur ſententiæ, cum multa ſint Juriſperitorum, & Canoniſtarum communia, cum denique ſibi invicem ſuppetias ferant, dubitabimuſne amplius, quin Sacrorum Canonum ſcientia cum Civili prudentia ſit copulanda, ambæque hæ facultates ſororio, germanoque nexu ſint conſociandæ? Quid igitur pendemus animis? quin horum, qui Canonicæ diſciplinæ ediſcendæ cauſa huc confluxerunt, Adoleſcentum mentibus una cum ſacris Canonibus Principum conſtitutiones inſtillandas eſſe ſancimus? Quidni autem? Jam Imperatorum leges *ſanctiſſimæ*, *ſacratiſſimæque*

vocan-

vocantur (54), jam per ora Principum dicitur Deus illas (55) promulgaſſe, jam ex uno utero, ac fonte & Canonicæ, & Civiles manarunt ſanctiones. Agite igitur, Adoleſcentes, utriuſque ſcientiæ ſtudia naviter urgete, & quid Pontifices, quid Imperatores ſtatuerunt, quid Gregorius IX. quid Juſtinianus ediderunt, quid Gratianus, quid Tribonianus collegerunt, animis veſtris diligenter inſerite, illudque mentibus alte defixum retinete, quod veteri Juriſconſultorum adagio circumfertur (56): *Legiſta abſque Canonibus parum valet, Canoniſta ſine legibus omnino nihil.*

(54) *Leges ſanctiſſimæ c.* De Legibus.
(55) C. *fin.* 16. *q.* 3. *&* *l. fin. c.* De Præſcript. 30. *vel* 30. *an.*
(56) Ludovicus Romanus *Singul.* 654. Joeſius in *Proœmio Jur. Can. n.* 1. Fagnanus in c. ſuper ſpecula n. 30. *Ne Clerici, vel Monachi.*

F I N I S.

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. F. Franceſco Antonio Benoffi Inquiſitor General del Santo Offizio di Padova nel Libro intitolato, *Joannis Politi Orationes ec. Mſ.* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Marc' Antonio Manfrè* Stampatore di Venezia, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 1. Luglio 1781.

(*Andrea Querini Rif.*
(*Alviſe Vallareſſo Rif.*
(*Girolamo Aſcanio Giuſtinian Cav. Rif.*

Regiſtrato in Libro a Carte 12. al Num. 98.

Davidde Marcheſini Segr.

MAG 2016613

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

pag.	ERRATA	CORRIGE
4	*omnia mediocriter in vita adprime eſſe utile :*	*omnia mediocriter :* in vita adprime eſſe utile
5	ut ut præclara nimis, tamen longa	ut ut præclara, nimis tamen longa
5	peritiſſima	penitiſſima
11	ἐλλωίξην	ἐλλυνίξην
20	χαρακτηρισμαὶ	χαρακτηρισμὸς
21	ſi Eccleſiarum	ſi in Eccleſiarum
29	labori	laboris
86	otio deſfluentes	otio difluentes
101	Intelligitis optime	Intelligitis, opinor
105	compedienſis	compendienſis
134	conflictatione conturbata	conflictatione turbata
136	vi præſtanda	vi penſitanda
144	Franciſcus Duarinus	Franciſcus Duarenus
145	eſſe Decretales	eſſe Decretaliſtas
168	ita eis	ita in eis
168	tantum ilium	tantum illum
169	ſcholis, plateiſque	ſcholis, pluteiſque
171	de teſtamento	de teſtamentis
173	totum illa	totum ita